SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCRIPSIT

IOH. BAKIUS.

αἰσχρὸν σιωπᾶν —.

Vol. II.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. ET I. LUCHTMANSIOS.

CIƆIƆCCCXXXIX.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

LUDOVICO CASPARO LUZACIO

S. P. D.

IOH. BAKIUS.

Diu est, quod sermones illos nostros intermisimus, quum Wyttenbachianae elegantiae studiosus uterque assiduusque auditor, iuncto cum paucis sodalitio, veterum literarum vim gravitatemque, clarissimi auctoritate praeceptoris, percipere operam dabamus. Sive enim fortuna, sive ingenium, mox in diversum alterum ab altero nos diduxit vitae institutum; te, ut civium causas in foro tuerere, itaque honestissimo iuris civilis muneri satisfaceres, me, ut, omisso foro et subselliis, in illis literis habitarem earumque disciplinam profiterer. Verum ut animorum, ita ne studiorum quidem haec exstitit

dissociatio. Neuter alterius institutum despiciebat, atque retinebamus ambo non odorem tantum, ut illa testa Horatiana, sed facultatem etiam, studium certe quo semel imbuti fueramus. Et veterum quidem literarum domestica tibi praesto erat commendatio et avita a magno Valckenaerio: cuius commendationis gravitatem, ne inani commemoratione labefactaretur, demonstrabant tibi praesentes praesenti cognati, quibus et doctissimis et tui amantissimis utebare. Tam illustri nomini colendo quanta religione operam dare soleas, et ipse testis sum, et experti norunt alii. Ecce, huius ipsius, quem nunc ad te mitto, libelli confectio suavissimam mihi quamdam renovavit memoriam cum sermonibus nostris veterique consuetudine coniunctam. Nam quum in Lysiae orationibus severius retractandis versarer, ac doctissimorum virorum commentarios circumspicerem, quorum usu meam excitarem tarditatem, et si fieri posset facultatem accenderem, primus omnium occurrebat Dobreus, quippe quem et praesens cognoveram, et ex illa consuetudine re-

cordabar quam excellenti iudicio, quamque accurata ratione in Atticae eloquentiae monumentis explicandis uteretur. Hunc tu mihi conciliaveras. Meministi enim quatuor et viginti propemodum esse annos, quum unius viri repentino in Franciam adventu et reliquis omnibus summa trepidatio iniiceretur, et Parisiis quicumque peregrini, pacis usi commeatu, vel otiandi ac feriandi causa, vel artium literarumque lautissima praesidia secuti degerent, tamquam fulminis ictu exturbarentur. In his postremis erat Dobreus, qui tum Leidam se recepit, non magis vestigiis et imaginibus invitatus clarorum virorum et literato quodam huius urbis otio, quam spe lustrandorum voluminum Valckenaerianorum, quae in tua domo ex hereditate servabantur. Hic simulatque te adiit, continuo mihi copiam eius faciendam putavisti, qui eius artis studio flagrarem, cuius ille usum iam ac scientiam elaboratam afferebat. Cogitabat tunc, ut suspicabamur, Demosthenis editionem: et si exigua erant in Publica Bibliotheca huius ornandi praesidia,

tanto magis stupebat incomparabilem Valckenaerii, in illis schedis manu scriptis, diligentiam, nihil quod in quoque genere operae pretium esset vel sine animadversione ac disputatione, vel sine emendatione aut coniectura relinquentis. Et usus est Dobreus illa tua facilitate ac beneficio, ea fide, eoque officio, quo decebat virum bonum et modestum et verecundum; id quod declarat Praelectio in Lysiam, in qua Valckenaerii sententiam de Funebri Oratione ex illis ineditis commentariis accuratissime retulit; idemque animus exstat in editione Pluti, in volumine Aristophanicorum Porsoni. Mansit nobiscum in universae fere Europae tumultu ea animi tranquillitate usus, et tam otiose in studiorum agitatione versatus, ut quatridui bellum vix animadvertere videretur, cuius tum incendio rem publicam nostram conflagaturam metuebamus. Sed quamquam ita totus in Demosthene esse videbatur, ut librorum pervolutandorum studium ne ianua quidem ac parietibus contineret, ac nihil suspicantem videremus eum subinde in publico commode len-

teque incedentem, defixis oculis in magno ac spisso volumine e Bibliotheca ablato, in convictu tamen et consuetudine miram eius suavitatem diligebamus. Loquebatur Francice, quod meministi, melius quam facere solent plerique transmarini: visitaverat Hispaniae multas partes: igitur nec Graecas semper literas, quum una eramus apud te, tractabamus, sed in omne genus sermonis et eruditi et faceti devertebamus, quocumque nos vel percontandi et lacessendi libido impelleret, vel ipsius invitaret humanitas, et nova nobis multa narrantis, et singula tum recto iudicio disceptantis, tum sale quodam adspergentis. Quid mirum, si optimi viri discessum moleste tulimus? tu, quod lubentissime senseras tamquam refocillatam magni avi tui admirationem, ego, quod multa audieram, quorum sitientem me non explebat Wyttenbachii senescentis iam disciplina: sed retinebam salutarem illum animi morsum cum ignorantiae pudore coniunctum.

Ecce, anno post venit ad nos Oxonio Gaisfordius, cuius item cognoscendi primam ego

tibi acceptam referebam opportunitatem, tu doctissimi viri adventum et salutationem et famae debuisti schedarum Valckenaerianarum, et commendationi Dobreanae. Sed hic Codices maxime manu scriptos Bibliothecae nostrae, praecipueque Suidam consectabatur, iam tum animo destinans et admirabili industria praeparans praeclaram illam Lexicographi editionem, quae duodeviginti annis post prodiit. Fuit nobiscum quatuor ipsos menses, eaque statim mihi cum eo intercessit familiaritas, ut nullum facile diem praetermitteremus, quin conveniremus sermonesque de literis nostris misceremus. Ego quantum huic iucundissimae consuetudini debuerim, dici vix potest. Primus ille mihi Porsonianae disciplinae aperuit praestantiam, excellenti plane commendatam et scientia Graeci moris ac sermonis, et acerrimo venerum Atticarum sensu; quorum adspectu bonorum qui non incalescat, alacriusque ingenio moveatur, hunc insuperabili torpore illigari puto. Vere mihi sic videbar vel e somno excitatus, vel e cessatione, vel fortasse nescio qua opinione

boni exturbatus, quod videlicet iam essem consecutus. Itaque Gaisfordium non illa communi benevolentia, sed pietate prorsus complectebar, et perpetuo deinceps colui. Et tu, si minus raram illam eruditionem iudicare poteras, at certe probitatem et simplicitatem in eo diligebas: nec te poenituit, quum aliquot annis post Britanniam inviseres, intermissam consuetudinem cum eo instaurare viro, qui, ut Cicero ludit in aliquo, et partium erat optimarum et artium. De quo plura ad te scriberem, nisi quaecumque ederem mittere ad ipsum consuevissem, itaque in odiosum quoddam vel impudentiae, vel certe ineptiarum genus incidere vererer, laudandae in praesente virtutis. Hic quoque tuam facilitatem expertus est aperiendi thesauri Valckenaeriani. Nec facile potuit hoc cuiquam tribui, qui vel modestius, vel integrius, vel prudentius uteretur. Testantur Poetae minores Graeci, et Stobaeus, et Suidas, ab ipso editi, in quibus voluminibus tuum beneficium merito praedicavit. Quid quaeris? Colitur a Britannis avus tuus summa veneratione,

a quo si quando dissentiunt, caute faciunt et modeste, nec fere nisi cum honoris praefatione, sicut Porsonus in longa illa et praestantissima ad Medeam annotatione. Alios novi, qui, si quid forte sit, quod post sexaginta aut septuaginta annorum intervallum doctorum virorum continuis lucubrationibus melius nunc tandem explicetur, stuporem obiiciant heroibus illis nostris, et tam ridicule inflati sint, ut gloriosum philologum scripturum esse putem, si nunc viveret, Plautum.

Sed redeamus ad veros viri magni admiratores. Memoriam tenes profecto Burgesii, quem amicum habuit Dobreus. In quibus animadvertere licuit, in eodem studiorum genere homo, ut ait ille, quid homine distaret. Profecti erant ambo ab exemplo et auctoritate Porsoni, itaque scenicos Graecos praecipua uterque cura tractabat. Sed ut lente et sobrie singula Dobreus enucleabat, haud facile ipse sibi placebat, ut dubitare nonnumquam de ipsa dubitatione videretur, ita fervidius calidiusque in cuncta involabat Burgesius, non ut corrupta

sanare velle, aut mutila et hiantia resarcire, sed ipsam poetae personam induere dicas, qui sua ederet, non qui aliena exploraret. Non te fugit, quamquam in Aeschylo hoc animadvertere minus tuorum studiorum rationes sinebant, quanta praeditus esset mobilitate ingenii, quanta libertate sentiendi dicendique uteretur, vinculaque omnia receptae opinionis ludibrio haberet. Quae ita a me memorari intelligi velim, non ut, in hac certe studiorum agitatione, despiciam; laudo potius, si ratione nituntur. Nam quem, quaeso, veterum illorum monumentorum, nullo non genere iniuriae et stuporis contaminatorum, interpretem probabimus, nisi qui adferat illum, quem Socrates apud Platonem rhetoribus scilicet exprobrat, animum στοχαστικὸν καὶ ἀνδρεῖον, divinandi et facultate et fortitudine instructum? aut quis omnia huius praeclarae virtutis praesidia firmius tenebat quam Burgesius, qui Scholiastarum omnes copias, Lexicographorum, Grammaticorum, omnino omnium subsidiorum ita percepisset, et in promptu haberet, ut paene edidicisse dixeris?

Sed dominatur in multis ingens invidiae perversitas, eaque latissime patet, ut quod ipsi attingere desperent, id contemnere in aliis simulent, virtutisque et ingenii eos natura fines descriptos esse arbitrentur, qui non ita multum domesticum ipsorum modulum egrediantur. Equidem summa cum admiratione memini me audire eum, quum nescio quid in Hippolyti primo in scenam introitu emendandum et supplendum demonstraret. Nam et acriter sentiebat, et incredibili flumine verborum disputabat, et sic versus pronuntiabat ut scenam te videre, non in bibliotheca esse putares. Hanc eius indolem tu ipse in alio quoque genere sermonum, quum semel iterumque una eramus domi tuae, cognovisti; itaque semper discedebamus, ut, quum seria iocos, gravia levia miscuissemus, modo cavillantes, modo disceptantes, iucundissime multas horas transegisse nobis videremur. Nescio quas cum Blomfieldio exercebat inimicitias: in quem debito saepe iniquius invehebatur. Sed vehementer doleo institutum iter deseruisse eum, et, quod tu

optime nosti, ad alia omnia lapsum esse. Servatur mihi schedula, in qua profitebatur editurum se Euripidis Bacchas »insertis versibus »circiter trecentis, haud ita pridem repertis," Rhesum, cum centum viginti, Medeam, cum quadraginta, Hippolytum, cum triginta, Troades, cum quadraginta, Aristophanis Lysistratam, cum triginta, Acharnenses, cum triginta, Vespas, cum quindecim versuum accessione. Novi, quibus iudicibus perridicula haec videri necesse sit, et monstra, et portenta, et delirantis animi indicia: coram quibus si nihil aliud ille accusatoribus responderet, sed demonstraret quamobrem versus hic aut ille inserendus esset, quaereretque, quod de Sophocle traditur, num illa coniectura desipientis videretur; si non liberaretur prudentum sententiis, vehementer audire cuperem quos isti fines humanae sollertiae posituri essent. Fuerint istorum pleraque ingeniosa magis quam vera aut certa: sed excitavissent alios ut contra disputarent, multaque sic accuratius explorata essent, in quorum obscuritate nunc permulti, nescio qua timiditate

conniventes aut consopiti, acquiescunt et beati sibi videntur. Habes, quid de Burgesio sentiam: cuius tamen neque odium laudo, quo adversarios persequebatur, neque sententiam in re publica. Sed haud pauca mihi reliquit summae benevolentiae documenta, quae quoties usurpo, toties desidero et reliquas eius virtutes, et animum in gravissimo studiorum genere honestum, nullaque vel cupiditatis, vel avaritiae, vel pravae ambitionis labe inquinatum.

Et communis fere haec est Britannorum laus: loquor de nostris literis, siquidem de aliis iudicare non possum; nec plebem intelligo, sed optimum quemque. Coniectura uterer, nisi ipse coram sensissem, quid spei aut praemii in summa et continua industria propositum haberent. Una illa voluptas cognoscendi inveniendique multorum iis triumphorum instar erat. De Porsono ex illis cognovi, quos hic vidi; neque enim facile diem praetermittebam, quin de eius disciplina et de omni instituto ac ratione studiorum sciscitarer. Hic nisi Graecarum lite-

rarum Professor factus esset Cantabrigiae, deberique nonnihil iuventuti a se putavisset, neque praeclaram illam Praefationem in Hecubam, neque omnino Euripidis illas fabulas suo praeposito nomine edidisset. Quam multa elaboravit edique iussit, in quibus artificis nomen divinandum reliquit! Destinabat Aristophanem, in quo regnabat plane: sed alere ac fovere thesaurum maluit, quam multitudinis clamores excitare. Celavit igitur cuncta, inviditque aliis? Nihil minus: nec fere quidquam ingenio consecutus erat, quin communicaret suis, quibus lubentissime inventorum suorum disputationem impertiebat. Non indicabo qui ab illa modestia et sobrietate alienissimi esse soleant: qui ubi in contraria incidunt, more fortasse et exemplo suorum, nonnihil etiam diversa indole excusandi videantur. Horum tamen multos amore studiorum duci dicas prorsus singulari, qui videlicet neque servari, neque confirmari possit, nisi novis semper consiliis librorum edendorum, quibus nomen praeponant suum: adeo ut metus sit, si iste mercatus eruditionis vel tollatur, vel ali-

qua ex parte laboret, ne actum sit de ipsorum industria, ipsaque ingenia exarescant in desidia. Non quaero nunc quantum ex effuso illo edendi instituto et boni ortum, et detrimenti illatum sit bonis artibus: de hominibus loquor, in quibus requiro liberam animi agitationem, quae neque festinet, neque titulos semper ambitiosos cogitet, nec domesticam laboris voluptatem popularis aurae aut nescio cuius lucelli ministram faciat.

Dobreum tamen nollem ultra quam decet modestum fuisse. Quam egregie doctus esset, quantaque sagacitate uteretur veri inveniendi, declarant Adversaria, post ipsius mortem a Scholefieldio Cantabrigiensi edita, non illa quidem ad Valckenaerianae eruditionis perfectionem et varietatem elaborata, sed tamen ut prorsus excellentes elegantiae et acuminis dotes cernantur. Quos thesauros quum inspicio, ipsum sibi magis defuisse Dobreum doleo, quam materiae manum. Prudentissime enim dicitur, nisi oratione ac disputatione ingenii partus explicentur, rudia pleraque et inchoata in auctoris animo manere,

neque educari ad eam maturitatem, in qua una ipse se quisque et agnoscere, et emendare possit, si illam diligentissimam commentationem velut obrussam adhibeat veri et recti. Huic officio qui deest, non magis alios contemnere, quam ipsum se negligere arbitror. Explere sane aliqua ex parte poterit domestica commentatio, industrie praesertim et religiose usurpata: sed, quantum haec vincit nudam cogitationem et volitantem, ita longe multumque superat ipsam edendi praeparatio. Sic demum congressus suscipitur cum aliorum opinionibus, in quo plurimum interest ut omni prudentiae et severitatis praesidio tecti ipsi simus. Haec praeparatio dici vix potest quam salutaris sit, coniuncta cum illa cogitatione fore ut, quae sentiamus ac demonstremus, in discrimen veniant et tamquam in aciem ac certamen descendant, in quo optimos quosque et intelligentissimos habituri simus vel iudices, vel adversarios. Sic exsistit summa illa ingenii omniumque virium contentio: nec ea foras magis prodit, quam domi fructus uberrimos condit. Haec vellem re-

putavisset magis Dobreus, quem ipsae illae schedae Valckenaerii admonere poterant graves in literis nostris locos stilo demum accedente in cuiusque animo evolvi et explicari. Qui si plura edere paravisset, perpaucis, certo scio, aut inventorum praestantia, aut subsidiorum ubertate cessisset.

Ego si tibi videor hac scribendi edendique commendatione tamquam excusatione uti novi voluminis, non intercedam si qui, quod exilia nec satis ornata sint, non efferre me mea maluerint: ipse potius nescio quo me abscondam, si cogito quantorum virorum cathedram occupem, quam digne sustinere ne sperare quidem licet: sed iidem hoc mihi concedant, primum tantum ut enitar, quantum mea me sinit mediocritas, tum ut ipse mihi consulam, et hac exercitatione meam quaecumque sit et doctrinam exornem, et iudicandi facultatem confirmem. Et ne semper haec literata studia loquar, quid, si in nullo non scribendi genere et proposito idem valere dicam? Veluti quod nunc facio, primum non multum sane deliberavi utrum ad

te scriberem, quocum me communis disciplina, nec multum dissimile ingenium paene a pueris iunxit; magis dubitavissem, si novissem te nunc honoribus amplissimis, quos tibi mandavit res publica, stulte elatum, aut opibus et gratia ambitiose abutentem in rebus tuorum et optatis commendandis: nam et odi adulationem, et indigne ferrem si homines nescio cuius commodi spem in me suspicarentur, non veteris amoris caritatem. Hoc igitur fundamentum probe exploratum habebam: te longissime ab istiusmodi nugis ac sordibus abesse norunt omnes, ego mihi probe conscius sum virtutis ac dignitatis. Restabat, ut quid ad te scriberem, et quo modo, circumspicerem. Agitamus crebro in sermonibus nostris ea, quae sane aliquanto ab his studiis, quae publice profiteor, remotiora sunt; et nuperrime, quum eiusmodi quaestionem disceptabamus, in qua nonnihil dissentire alter ab altero videremur, sic tamen pugnavimus, ut nemo non dicam humanitatem, sed rationum inter se conferendarum moderationem desideraturus fuisset. Sed minus decebat talia

aut Ciceroni, aut Lysiae praeponere: quamquam, si auctoritatibus certare voluissem, potuissem Athenarum civitatem excitare, cuius exemplo meam defenderem sententiam. Sed commode occurrebant docti illi Britanni, quos tu recto usus iudicio benevolentia et facilitate tibi obstrinxeras, ego te in primis conciliante cognoveram. De his sic ad te scribere volui, tu ut intelligeres haud exiguum esse fortunae donum magni nominis teneri agnatione, a me autem gratus exstaret animus, qui illorum adventibus incredibiliter recreatum me et emendatum fuisse meminissem. Atque hic reditus in memoriam eorum, quibus plurimum et debeas et velis, aliorum animos nescio, meum certe suavissime afficit: et contineri idem existimo Delphico illo praecepto. Qui enim ista omittit, et nescio qua vanitate offusus et elatus superbia nemini quidquam nisi ipsi sibi acceptum refert, nae is non se ipsum noscit; corrumpit potius semina illa virtutis, e quibus non magis reliqua vitae degendae ratio, quam doctrinae moderatio et grata perfectaque species

effloreseat necesse est. Ita factum est ut facile indulgerem veteri illi memoriae, eique necessitudini quae mihi a longo tempore tecum intercedit. Nolo hanc praedicare ambitiose, pariter nostrum utrique parcens. Tantum dicam, non poenitere me summae gravissimarum rerum consensionis cum eo, quem boni omnes honestatis, fidei, integritatis exemplum intuentur. Vale.

Scripsi Lugduni Batav. d. 28 Februarii CIƆIƆCCCXXXIX.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

I.

Disputatur de ortu dialogi Socratici, deque eius imitatione.

VETERUM literarum disciplinam qui in diligentissima singulorum voluminum interpretatione consistere putant, ea profecto postulant, quibus sine eximia industria, diligentia, ingenio satisfieri nullo modo potest: verumtamen angustioribus utuntur finibus quam rei tum dignitas, tum praestantia fert. Sint sane illa, quae commendant, magna et gravia et tanta, ut, qui istis spretis vel minimam disciplinae partem disputando attingat, stolidus videatur necesse sit planeque delirare: supersunt tamen alia, quae istis superstructa velut fundamentis, iusti demum aedificii et speciem et

fructum referant. Nam, ut alia omittam quae ad historiae omnisque prudentiae civilis tum studium, tum perfectionem ex illa disciplina redundatura sunt, haud minus interest antiquitatis ingenium et tamquam formam considerare in ipsis quae usurpavit scribendi generibus: quod tanto gravius est, quo magis veterum auctoritati nostra imitatio addicta est, quaeque multis seculis post tentata sunt ad istius aevi normam plerumque rediguntur. Sed habet illa admiratio hoc vitiosi, quod, neglectis temporibus et opportunitatibus e quibus singula literarum genera tum in Graecia, tum Romae creverunt, temere nonnumquam ista huc transferuntur, tamquam in aliud solum diversamque coeli naturam. Non aliunde exsistunt ambitiosissimae illae commendationes, quibus alius alium de veteribus scriptoribus sic efferre solet, tamquam si ex uno illo et salus ingeniis, et emendatio generis humani, et nullius non virtutis aut praestantiae auctoritas esset petenda. Quae quamquam universe superstitiose effusa magis, quam demonstrata prudenter esse videntur, eaque excedunt ipsa, quae summo iure in veteribus laudantur, nullo tamen in genere inconsideratius eduntur, quam in forma quam veteres animi sensis, aut ingenii doctrinaeque inventis induerunt; quam qui hodie in simili proposito mutuantur, metuendum est ne

alienis laudibus consectandis naturae ipsi suae vim inferant retardentque aut corrumpant etiam germanos humanitatis fructus. Tanti incommodi labes ne latius serpat, neque obsit veterum literarum existimationi, haec in primis opera danda est, ut singula scriptionum genera, quibus illi usi sunt, indagemus quo modo, et ex qua ingeniorum tamquam conditione orta sint, quasque ipsa vicissitudines habuerint vel auctoritatis, vel imitationis. Sic profecto intelligi poterit quid intersit inter naturae veritatem et eum habitum, quem intempestiva aemulatio assumere gestit; tum pleraque enunciandi genera certis adstricta esse temporibus, quibus mutatis ipsa quoque obsolescant necesse esse.

De poesi, deque plerisque carminum generibus si dicam quae mihi viderentur, multorum, certo scio, offendam studia. Aliquanto minorem habet dubitationem prosa oratio, quasque haec formas induit. Si laudatur effuse Herodotus, incredibili suavitate multisque orationis simplicis ac venustae illecebris rerum gestarum memoriam persecutus, iacetne propterea aut Thucydides, aut Polybius? Nos vero et proprias laudes in his agnoscemus, et intelligemus, sicuti laxum et fusum illud Herodoteae orationis genus probari illis non potuerit, fieri posse ut nobis ab ipsorum utroque disceden-

dum sit, aliaque forma quaerenda, quae nostris hominibus, praesentique eius disciplinae conditioni satisfaciat. Verum, ut longum est singula persequi, ita haud alienum ab huius horae opportunitate esse existimavi quaerere, unde et quo modo ortus sit Dialogus Socraticus, quae sit eius virtus, quae opportunitas, tum qua ratione, qui post principes eamdem scribendi formam susceperunt, satisfecerint instituto. Forte quippe evenit, ut, quorum volumina hoc anno nobis interpretanda sunt, Xenophontis, Platonis, Ciceronis, contineantur illa sermonis forma; ut explicare operae pretium sit, quo intervallo distent Tulliani dialogi ab illis qui e Socratis disciplina fluxerunt.

Omnino genus ipsum sermonis in Graecorum literis antiquissimum est; siquidem eo tum epica poesis usa est, tum scenica sibi vindicavit totum. Et ex epicorum quidem imitatione Herodotus quoque profectus esse existimatur, qui pariter in illo genere διηγηματικῷ suavissimos sermones historiis intexuit. Sed in gravissimarum artium disputatione, quae soluta oratione suscipiebatur, quum, spreta carminis suavitate et ornatu, ea, quae diuturno studio et scientiae pervestigatione comprehendissent, explicare aliis coeperant, satis habebant initio si vocabula apte eligere et componere, sensaque mentis nude et perspicue enunciare pos-

sent: loquebantur ipsi in suis scriptis, nomen adeo suum ab initio professi; nec quidquam sollliciti erant de speciosa quadam forma quam operi induerent, sive ea intelligentiae, sive voluptati aliorum profutura esset: denique incomta erat rerum placitorumque expositio, nullum orationis elaboratae artificium, nullas speciei exquisitae dotes consectans. Paullo post exortum est orationis ornandae et amplificandae studium, maxime per sophistas, qui, non contenti forensis eloquentiae disciplina, gravissima quaeque argumenta continua oratione persequebantur, omnibusque verborum sententiarumque illecebris adhibitis, eorum, qui audiebant, tum aures suavissime explebant, tum mentes animosque flectebant. Non dubium est quin in multum diverso genere laudetur Democritus, cuius locutionem, quod incitatius ferretur et clarissimis verborum luminibus uteretur, nonnullis visum esse testatur Cicero (Orat. 20, 67) potius poema putandum, quam comicorum poetarum. Sed hi tamen omnes manserant in illo instituto orationis directae, qua scriptor ipse eos qui legerent alloqueretur, non simulato alienarum personarum sermone, quibus sua tribueret.

Dialogi forma, in iis argumentis quae propria sunt gravissimarum disciplinarum, dubium non

est quin primos scriptores nacta sit e Socratis schola. Exploravit hanc quaestionem Wyttenbachius (in Epistola ad Heusdium, quae Specimen Platonicum comitatur, p. XL sqq.) docte, ut solet, et eleganter. Nam quod apud Diogenem Laert. III, 47. Zeno Eleates perhibetur primus dialogos scripsisse, sic interpretandum videtur, ut primus dialecticam exemplo explicuerit, assumta persona tum interrogantis, tum respondentis, sine quo illud genus demonstrandi cogitari non potest. Atque hinc fluxisse existimo illam definitionem dialecticae, quam Diogenes ibid. 48 opponit dialogo. Si quis enim, inquit, genus ipsum dialogorum diligenter complecti vult, non tantum praestantia princeps Plato est, sed etiam inventione: quippe dialogus est *λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν, μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιΐας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων, καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς· διαλεκτικὴ δέ ἐστι τέχνη λόγων δι᾽ ἧς ἀνασκευάζομέν τι ἢ κατασκευάζομεν, ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως τῶν προσδιαλεγομένων·* quocum convenit Schol. ad Aphthon. in Montefalcon. Bibl. Coislin. p. 595; (citatus in Animadv. variorum ad Aristotelis Rhetor. I, 1. 1. p. 7 sq. Edit. Oxon. 1820:) *τούτῳ δὲ διαφέρει τῆς ῥητορικῆς ἡ διαλεκτική, τῷ τὴν μὲν διαλεκτικὴν κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν,*

τὴν δὲ ῥητορικὴν διεξοδικῶς περὶ τῶν πολιτικῶν διαλαμβάνειν πραγμάτων. Sed istum inveniendi principatum aufert Platoni, ut videtur, Aristotelis testimonium in Primo de Poetis, qui Alexameni Teii primos exstitisse affirmavit dialogos Socraticos: conf. Athenaeus XI. p. 505. C, Diog. Laert. ibid. qui eiusdem rei Phavorinum in Memorabilibus testem excitat, Athenaeus autem auctores sequitur praeterea Niciam Nicaënsem, et Soterionem: de cuius loci interpretatione, quoniam paullo impeditior est, suo loco quaeremus.

Verum ipsa appellatio, quae, ut vidimus, Aristotelem auctorem habet, *Socraticorum dialogorum*, arctissime totum hoc genus cum Socratis ipsius auctoritate et disciplina coniungit, eosque qui principes in illa scriptionis forma elaboraverunt ab inani quadam innovandi libidine vindicat. Nam de Socrate si quaeritur, nemo de philosophis ante hunc segregaverat maximarum rerum quaestiones a continua oratione et nuda placitorum demonstratione. Princeps hic, quum videret insignem multorum doctorum affirmandi audaciam et temeritatem et arrogantiam cum illo genere docendi esse coniunctam, itaque corrumpi magis ingenia adolescentum quam erudiri, de virtute, de bono et aequo, de utili, de honore deque similibus rebus sic disserere ipse instituit, vel ut percon-

tando singula ex adolescentum mentibus erueret, vel ut iis, qui sapientiae doctrinam profitebantur, adversaretur celebrata illa usus ironia, captionesque presso disputandi genere dissolveret. Atque horum sermonum imaginem ut redderet unus aut alter de eius familiaribus, nihil erat opus nisi ut penitus animo complecteretur magistri indolem: alii si extra hanc praesentem auctoritatem suscepissent, et toto genere aberraturos fuisse certo scio, nec quidquam aliud prodituros, nisi inane novarum rerum studium, quod ultra fingendi vel laudem vel libidinem progredi non potuisset.

Hunc ortum si tenemus dialogi Socratici, apparet non tam ingenio cuidam deberi omnia circumspicienti quae populo placere possent, sicut in plerisque carminum generibus; sed procreatum esse ab ipsa vitae disciplinaeque veritate, cuius speciem et imaginem illa volumina referunt. Accedit, quod reliquae illae *μιμήσεις*, quippe non nisi ad delectationem compositae, in summa etiam fingendi arte et sententiarum veritate et praestantia, tamen ita modum excedebant, ut, quo mirabiliores, quoque magis exaggeratae essent, tanto maiores excitarent clamores; Socraticus contra dialogus neque multitudinis studia aucupabatur, et id operam dabat, ut quam proxime Socratis exemplum servaret, repudiato omni fin-

gendi artificio, quod voluptati potius eorum qui audirent, quam veritati serviret. Sed magis hoc intelligetur, si ipsa, quae nobis ex illo genere scriptionis supersunt, monumenta consideramus.

Vere Socraticos qui scripserint dialogos, fuerint sane plures; sed cunctos videtur, non tantum gravitate disputandi, sed tum orationis ornatu, tum veritatis imagine obscurasse Plato primum, mox, quamquam diverso consilio scribens, Xenophon. Atque, ut de Platone prius dicamus, tria illa, quae posuimus, quibus superavisse existimandus sit reliquos, eiusmodi sunt, ut partim propria eius ac domestica fuerint, partim e Socratis hausta auctoritate. Constat enim non tantum plura, sed graviora multo et reconditiora tractari a Platone, quam quae Socrates disserere soleret, eaque fluxisse ex aliorum philosophorum disciplina, quos in primis post Socratis obitum studiose audiverat. Neque minus genus ipsum orationis, multis partibus discedens ab illa sermonis consuetudine communi, quae in Socratica disciplina dominata esse videtur, in peculiaribus Platonis dotibus collocandum est; cuius non dico lepores, et reliquum ornatum, sed sublimitatem, et granditatem verborum, et in altitudine sententiarum exquisitissima orationis lumina, qui poetica appellant, ac dedecere tales sermones, ignari esse videntur quam

apte et loco et modice his ornamentis conspergere potius soleat orationem Plato, quam totam ex iis construere, quamque in ipso cursu disputationis et vicissitudine oriantur sponte magis, quam artificio quodam inserantur, aut ambitiose arcessantur. Quo loco Wyttenbachii verba, elegantis talium rerum existimatoris, premere silentio non licet. Quum enim monuisset (Epist. ad Heusdium p. XLI. fin.) in orationis ornatu consectando habuisse Platonem, quorum exemplum sequeretur, Democritum et Pythagoreos; et aliquanto plus hac etiam in re vidisse; »vidit, inquit, prosam »philosophiae orationem nimio intervallo a poeseos »similitudine avulsam, propius denuo ad eam re»vocandam esse." Et sane, qui prius de philosophia scripserant, rerum fortasse vel novitate, vel disserendi etiam demonstrandique vinculo et necessitate adstricti, spreverant liberiora illa orationis ornandae praesidia, in quibus poetae iactabant sese ita, nihil ut esse videretur quod concedi sibi ac licere non putarent. Plato, ut sublimior ornatiorque fieret locutio, non, quod optimo praeceptori meo videbatur, effecit dialogo adhibendo: quamvis enim scribendi formam optare maluisset, eadem, non dubito, indoles subfuisset, idem ingenium nituisset in delectu verborum et excogitandis sententiis: sed ista sermo-

nis similitudine assumta, campum nactus est in quo liberius explicarentur praeclarissimae nativaeque sentiendi cogitandique dotes. Una est profecto orationis dos, quae splendore et amplificatione constat, quaeque tum translationum, tum similitudinum audacia ac novitate, tum reliquis figuris, ut appellantur, verborum et sententiarum cernitur, nullique ea laus adstricta est certo numero, quem variis metrorum vinculis ligare solent poetae. Si quid inter poesin et solutam orationem interest, hoc est, quod poetae perpetuo utuntur illo ornatu, perque omnia diffundunt, quod ita oportere existimant; prosae scriptores plerumque ei parent officio, quod a L. Crasso apud Ciceronem (Orat. III, 25) in uno oratore postulatum, ad omnes scriptores transferre licet, ut ne sine intermissione, sine varietate versentur in illo genere ornato et quaesito; quippe si in illis ad satietatem usque talia feruntur, utpote ludendi maxime et delectationis causa susceptis, in his, *voluptatibus maximis fastidium finitimum est.* Quod praeceptum quum naturali ingenii bonitate anticipasset Plato, quamquam non tinctus, sed plane imbutus studio principum poetarum, eam tamen locutionem usurpavit, quae in summa elegantia plerumque tamen referret communis sermonis simplicitatem ac sobrietatem, tum praeclare

disserendi diligentiae satisfaceret; sed quae subinde assurgeret, una cum sentiendi tamquam motu et affectu, tum indulgeret feracissimo elegantiarum ingenio, et flectendis componendisque vocabulis eo orationem inficeret colore, qui nonnullis poeticus et dithyrambicus esse videretur, sed tantae sententiarum altitudini detrahi non poterat. His virtutibus hoc assecutus est politissimus scriptor, non ut in eo frigeamus umquam, sed eodem impetu abripiamur, eodemque aestu legentes incalescamus. Tantum intelligi volo, minime fluxisse celebratam illam Platonicae dictionis divinitatem a dialogorum scribendorum instituto, quum praesertim, teste Dionysio Halicarnassensi (Epist. ad Pomp. T. VI. p. 762. et De Admir. Vi Dic. in Demosth. p. 968. R.) Socraticorum sermonum, in quibus educatus esset Plato, proprium esset *τὸ ἰσχνὸν καὶ ἀκριβὲς*, genus tenue ac humile et accuratum. Illamque virtutem quum inique interpretatur idem ille Dionysius, adeo ut multis locis *ἀπειροκαλίας* obiiciat Platoni, perpetuoque huius locutionem Demostheni postponat, in eo potissimum errare mihi videtur, quod ad oratoris sobrietatem et veritatem et nervos exigit philosophi suavitatem et fusum et liberius enunciandi genus: neque cogitavit ipsi Demostheni, in cuius laudibus efferendis multus est, exprobrari ab Ae-

schine dira quaedam, et portenta verborum: qua de re breviter monui in Bibl. Crit. Nov. Vol. V. 1. p. 192.

Restat tertium eorum, quae modo in Platone praedicanda esse dixi, veritatis imago in dialogis: eamque formam scribendi, cum docendi disserendique consilio coniunctam, totam Socratis disciplinae deberi existimo. Neque enim assentior iis, qui, ut Stallbaumius (*), Platonem scenicorum exemplo, aut etiam mimicorum, ad hoc dialogorum fingendorum institutum accessisse putant: multoque magis illa vitanda sententia est, diversa poeseos genera in illa sermonum varietate deprehendi, quod Wyttenbachius in illa ad Heusdium Epistola censebat. Sunt, inquit, alii διηγηματικοί, alii δραματικοί· eventus laetus in aliis, in aliis tristis est: addere poterat, nonnullorum nullum omnino eventum esse. Sed idcircone hanc scribendi rationem a poetis sumsisse, et ad eorum similitudinem accommodasse Platonem dicemus? Hoc si conceditur, nihil cuiquam dein aut agere, aut dicere, aut scribere licebit, quin continuo ad unum, aut fortasse etiam alterum de multis illis carminum generibus referatur. Verius est hoc, a Dionysio Halicarnassensi, quamquam alio

(*) Diput. de Platonis vita, p. 35 fin. sq., praefixa I° volumini Platonis, in Bibl. Graec. Rostii et Iacobsii.

consilio, dictum, in Socraticis sermonibus altum et nutritum esse Platonem, id est in iis sermonibus, in quibus gravissimae res, quae ad vitam, ad mores, ad virtutem, ad officium, ad rei vel publicae vel privatae moderationem et prudentiam spectabant, interrogando et respondendo edissererentur et explicarentur. Haec magistri auctoritas, praesertim non ad inanem, ut poetarum, oblectationem et ostentationem accommodata, sed in ipsa vitae actione et veritate et in quotidiana consuetudine versata, omnem ei rationem et fontes dialogorum aperuit, quibus componendis elaborandisque tantam famam adeptus est: in quo instituto quid attinebat ficta exempla, et tum aliis rebus, tum argumento et artificio dissimillima sequi, quum naturam ipsam intueretur? Nihil est in illis dialogis, si descriptionem et colloquendi vicissitudines attendimus, quod, nisi ita dictum factumve sit, plane ita dici fierique non potuerit: quod utrum in scenicis aut mimographis idem valeat, non dubito intelligentissimi cuiusque iudicio relinquere.

Occurrendum est autem multorum dubitationi, qui, quod permulta finguntur a Platone, non tantum in ipso disputationum placitorumque delectu, sed in descriptione etiam sermonum, quum eos saepe colloquentes inducat, qui per aetatem

aliave de causa una esse non potuerint, non esse veros hos Socraticos dialogos contendunt, neque ad vitam expressos. Iniqua sane rationis conclusio! quasi historiae severitate, non disputandi genere prorsus singulari Socraticorum dialogorum virtus censeretur. Vetus iam est illa malevolentia et perversa interpretatio in Platonis laudibus aestimandis, cuius luculenta specimina Athenaeus consignavit; inventorem enim ipsum fuisse, minus credibile est. Sed primum quaero, quam normam iudicandi generis totius sequantur isti? Tum, omnesne Platonis dialogos unius eiusdemque rationis et consilii esse putent? Habemus sane, ut de illo prius dicam, et Aeschinis aliquid, ut putatur, et certe nonnulla Xenophontis, de quibus postremis statuere possumus, non item de Aeschineis, quippe quae iam antiquitus fraudis suspicio attigit: vid. Diogenes Laert. II. 60 sq. Memorabilia igitur Xenophontea quisquamne umquam serio exemplar Socraticorum dialogorum habuit? quod et inscriptio libelli respuit, et manifestum scriptoris consilium, ea tantum exempli gratia memorantis, quibus turpissima et falsissima crimina dilueret in optimum magistrum coniecta. Sint sane ista omnia Socratica; sed similisne istorum est Oeconomicus? aut huius Symposium? quorum alter ad alterius normam si

exigetur, alteruter non esse Socraticus dialogus dicendus erit: quo quid absurdius excogitari potest? Sin uterque vere e Socratis disciplina aut consuetudine expressus est, quid horum dissimile est in Platonicis? Nam quod in his aliquanto maior est aut altercandi impetus, aut affectuum varietas, aut sententiarum cogitatorumque elatio, primum accommodata sunt ista tum colloquentium moribus, tum argumentorum, quae disseruntur, gravitati. Neque hoc negligendum est, ut alterum quoque attingamus, permultum abesse ut cuncti Platonis dialogi in eodem genere versentur. Sunt nonnulli non dicam languidi, sed tenues tamen, ut Euthyphron similesque; alii qui haud fere quamquam praeter subtilitatis laudem sustineant: alii rursus ad Isocrateam oratoriam artem propius accedentes, ut Apologia et Menexenus: tum longiores illi, de Republica, Timaeus, Critias, de Legibus, exordia si excipias, in recondita disputatione, detracta fere omni hilaritate, defixi sunt: Phaedrus contra, et Gorgias et Protagoras et Phaedon, paucique alii nullis non dotibus multiplicis splendidissimique ingenii nitent, sive orationem spectes, sive exornandi sermonis artificium. In tanta discrepantia, quem, quaeso, isti modum finesque discribent Socratici dialogi? Ex eademque, opinor, dubitatione,

aut fortasse ex praeiudicata quadam opinione Memedeni fluxit iudicium de Aeschinis quibusdam dialogis, (apud Diogen. Laert. ibid.) eos esse σφόδρ' ἐκλελυμένους, καὶ οὐκ ἐπιφαίνοντας τὴν Σωκρατικὴν εὐτονίαν, languidos esse nimium, nec Socraticum vigorem referentes, contra sentiente Dionysio Halicarnassensi, qui propterea, ut ante memoravi, minus Socraticos esse Platonis libros existimabat, quod non satis tenues essent. Hoc igitur teneamus: varietate et copia eruditionis et altitudine sententiarum et nonnumquam granditate et quadam audacia verborum superet sane Platonis Socrates verum Socratem, nec satis curiose in omnibus servetur historiae fides: sed viget in omnibus, certe in plerisque Socraticum ingenium, celebrataque illa ab ipso primum usurpata consuetudo saluberrimae dubitationis et ironiae, quae ista aetate doctorum virorum vanitatem et fiduciam refrenaret, veramque philosophandi rationem ex incorrupto hominum sensu eliceret. Et haec Socratica sunt, et tota dispositio sermonum et tamquam σκηνογραφία, tum singulorum in disputando mores, quin studiose ad eorum similitudinem expressa sint a Platone, quibus ipse interfuisset, nemo iure dubitaverit.

Platoni adiunctus est Xenophon, de quo, post ea quae iam dicta sunt, perpauca monenda restant.

Distant sane a Platonicis plerisque elegantissima illa Memorabilia: sed plane diversum fuisse in his consignandis Xenophontis consilium, quis ignorat? Primus hic dicitur Diogeni Laertio (II, 48) dicta Socratis ὑποσημειώσασθαι, et ἀπομνημονεύματα inscripsisse: quale quid in Aeschine qnoque suspicati sunt veteres. Illa igitur si ipsas Socratis disputationes continent, idcircone Oeconomicum, aut Symposium, aut Hieronem, quod aliquanto ornatius et ad συγγράμματος perfectionem elaborata sunt, minus Socratica esse statuemus? Non faciemus: sed hoc esse Socratici dialogi ingenium conficiemus, ut veram liberamque cuiusque quaestionis disceptationem contineat, quae neque in doctoris cniusdam potestate sit destinatam sententiam demonstrare conantis, neque necessario cursu argumentorum adstricta sit, ut, tamquam in schola, opus peragatnr; sed ut sponte orta, et saepe ipsa quotidiani sermonis inconstantia et vicissitudine modo hnc, modo in aliam partem delata, simplicem veramque dubitandi quaerendique viam sequatur, nihilque omittat eorum, quibus falsa et speciosa sententia defendi, tum eadem impugnari evertique possit, omninoque ut vanae potius opinionis temeritas et arrogantia arguantur, quam ut decreti cuiusdam placiti demonstratio obtineatur.

Has virtutes quod ii scribendo tenuerunt, qui disserentem Socratem, non in schola, sed in omni consuetudine vitae, nulla opportunitate praetermissa, audiverant, magno argumento esse debet genus hoc Socraticorum dialogorum non a poetarum imitatione fluxisse, si constabit, illis exstinctis, quum praesentis exempli auctoritas sublata esset, ita mutatam esse hanc scribendi formam, nihil ut Socraticorum dialogorum simile prodierit. Et hoc ipsum est, de quo nunc deinceps videamus, si prius hoc memoraverimus, neque credibile esse omnes, qui, Socratis usi consuetudine, dialogos ediderint, venustate orationis, aut ingenio et compositione, cum Platone aut Xenophonte conferri potuisse, et exstare indicia, quid veteres ipsi de illis senserint: sicuti Stilponis dialogos ψυχροὺς habitos esse, Simonis, per contemtum, σκυτικοὺς fuisse appellatos, teste Diogene Laertio II, 120. 122. Omnino difficile est statuere quidquam de iis, qui post Platonem et Xenophontem dialogos ediderunt, nihil quum ad nostram aetatem servatum sit, unde de forma et oratione iudicare liceat. Verum tamen haud inepte suspiceris nec studuisse quemquam aemulari Platonem aut veteres illos, nec potuisse. Fuerant illi Socratici dialogi expressa quaedam de vivo imago, ab iis reddita, qui rebus ipsi interfuerant, quosque illa consuetudo penitus

subegerat et informaverat. Sed posteaquam illae philosophorum familiae a Platone ortae suam sibi quaeque scholam condere coepissent, pulverem illum et aciem subitorum sermonum deseruisse videntur, totamque scientiae rationem severioribus et continuis disputationibus accommodasse, quibus disciplinam sustinerent; ex eodemque genere ea necessario esse debuerunt quae literis mandarent, ut ipsi perpetua oratione ex sua persona destinatum argumentum explicarent. Socratica illa consuetudo veteris his memoriae historia fuit, quam e monumentis, non usu et exercitatione cognitam habebant. Neque tamen eo minus subinde dialogi formam induerunt, utpote popularem magis, quaeque interiorem scholae sententiam ad extraneorum quoque notitiam studiumque proferret. Itaque Speusippus traditur complures scripsisse dialogos. Sed in primis susceptum hoc institutum est ab Aristotele, de cuius dialogis praeclara quaedam notavit Wyttenbachius in illa Epistola p. XLVIII. fin. sqq.: e quibus considerandus nobis est locus Basilii Magni Epist. CLXVII. Tom. III. p. 187. C. Coniunguntur ab hoc doctissimo scriptore Aristoteles ac Theophrastus, animadvertiturque hos in dialogis statim res ipsas aggredi, quas explicare vellent, propterea quod, quantum a Platonis venustate abessent, bene sibi conscii

essent; Platonem autem, praeterquam quod placitis pugnaret, simul ingenium moresque effingere et quasi traducere eorum, quos loquentes induceret. Hunc locum Wyttenbachius ceterum rectissime accipiens, et a vulgatae interpretationis errore vindicans, non recte tamen mihi videtur inde colligere eam fuisse formam Aristotelici dialogi, qualis sit Xenophonteorum Memorabilium; quae non nisi ὑποσημειώσεις sunt, Aristotelis ac Theophrasti contra dialogi ad formae integritatem, disputationisque absolutionem instructi elaboratique, ut videtur, fuerunt. Quidquid sit, quamquam non spernendum hoc Basilii testimonium, multum abest tamen ut plane doceat nos, quid de forma reliquisque virtutibus Aristotelici dialogi existimandum sit. Nam gratia etiam illa detracta, qua commendantur plerique Platonis dialogi ex admirabili illa ἠθοποιΐᾳ, restat sermonis vicissitudo brevibus incisi quaestionibus et responsis, nec nisi raro in longiorem orationem excurrentis; restant aliae multae admirabiles virtutes tum orationis, tum sententiarum. Sed neque hoc tamen reticendum est, verissime distinguere Basilium a reliquis Platonis libris eos, in quibus utitur ἀορίστοις προσώποις, quorum velut interlocutionem perspicuitatis tantum causa in disserendo adsciscit; cuius rationis exemplum ponit in Legum libris: ut for-

tasse haud ineptum sit conficere, Basilium similem quamdam formam Aristotelici dialogi indicare voluisse. Aliquanto plus aperit Cicero Tusc. I. 10, 21, ubi Cleanthis Peripatetici, quem magistri exemplum secutum esse vix dubitare licet, memorat dialogum, tribus libris compositum, in quorum primo multos doctos homines loquentes faceret, duobus reliquis Pherecratem quemdam disserentem induceret de animi natura: tum Corinthi habitum sermonem fingeret. Satis hoc testimonio confirmari potest, in Aristotelico dialogo ipsius placiti demonstrationem non illa Socratica interrogandi, respondendi, quaerendi dubitandique consuetudine absolvi solitam fuisse, sed unius praecipue continua oratione, praemissa fortasse aliarum de eodem loco sententiarum mentione, in plurium sermone explicata: tum hoc apparet, non se ipsum in dialogum includere Decaearchum, sed sua tribuere Pherecrati. Non difficile est igitur huius dialogi morem, qualis fuerit, divinare; neque huius rationis vel inventio, vel effectio magno constabat ingenio, vix quippe in eam ullum sermonis aut actionis fingendae artificium, nec facetae orationis aut incitatae magnopere laus cadebat. Unde factum existimo, ut crebros hoc genus nancisceretur imitatores. Quodsi Socratici dialogi virtutes e poetarum scenicorum studio et aemula-

tione ortae essent, mirum profecto videri oportebat, Peripateticos, eorumdem voluminum lectione nutritos, hunc laudum fontem sprevisse, diversumque morem instituisse.

Sed optandum fuit veteribus illis e duobus modis, quibus ista fingi poterant. Vel enim antiquis hominibus colloquendi partes tribuebant omnemque sermonem, vel aequales secum disserentes inducebant hoc eventu, ut praecipuas partes sibi servarent, ac principatum in disputando ipsi tenerent. Illius generis exemplum contineri videtur illa Aristonis Chii Stoici mentione, qui omnem sermonem de senectute tribuerat Tithono: apud Ciceronem Senect. 1: quamquam hoc ridiculum quodammodo habetur. Sed Heraclidem Ponticum, Platonis auditorem, in primis eius moris auctorem habet Cicero: qui ad Atticum XIII, 19, 4. de ea forma dialogi agens, in qua suum κωφὸν πρόσωπον esset, *hoc*, inquit, *in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis, et nos sex de Republica libris fecimus.* Omnino praecipuus in hac quaestione auctor nobis relinquitur simulque exemplum Cicero, qui manifesto non Socraticum dialogum aemulatur, sed illum, quem brevitatis causa Aristotelici dialogi appellatione significandum putavi. Sed quae ipsius fuerit Aristotelis consuetudo, in eadem Epistola declarat.

Posteaquam enim cum illorum De Republica librorum forma contulisset eos De Oratore, in quibus ii loquentes inducerentur, qui ipsum per aetatem excluderent, haec addit: *quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent: in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus:* et exempli loco memorat dialogum De Finibus, in quibus Pisoni principatus tribuitur, tum Academicorum eam editionem, in qua Varronem et Atticum incluserat, sibique Antiochiorum, quae Varroni tribuisset, refutationem servarat. Et fecit idem in libris De Natura Deorum, in quibus Cotta tamquam sententiam pronunciat, tum in Divinatione, in qua Quinti fratris disputationem ipse convellit secundo libro. Quid inter hanc rationem, et eam, quam in libris De Republica et De Oratore secutus est, intersit, non difficile est animadvertere. Nam in illo Aristoteleo more colloquentes tamquam adversarii inducuntur, quorum cuiusque sententia de industria defenditur, a principe disputationis ad postremum convincitur. In altero genere neque ut inter adversarios disputatur, neque ut unus principatum teneat, sed ita potissimum ut totius argumenti partes fere aequabiliter inter colloquentes distribuantur, quorum singuli sua tamquam in commune conferant: et hoc genus alteri, velut Aristotelico, opponitur a Cicerone.

Haec si probabiliter disputavi, pronunciari posse videtur de alio loco Tulliano, in quo ipso quoque *Aristotelei moris* mentio fit, ad Div. I, 9, 23. Hunc quoniam Wyttenbachius in illa Epistola p. L sq. perperam, ut puto, interpretatur, magni viri reverentia facit ut diligentius explorandum esse ducam. *Scripsi igitur*, inquit, *Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore —. Abhorrent a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur.* Ex his verbis conficit Wyttenbachius, intelligendam eam esse formam dialogi, qua scriptor non ex sua ipse persona loquitur, sed alios loquentes inducit: et hunc fuisse Aristotelis morem colligi dicit ex Ammonii verbis, in distributione scriptorum Aristotelicorum, *διαλογικὰ δὲ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα.* Sed cui non perspicuum est, in isto Ammonii loco *διαλογικὰ* opponi *αὐτοπροσώποις*, i. e. *συνταγματικοῖς*· neque illa definitione hoc excludi, ut scriptoris ipsius in dialogo cum aliis partes sint. Et utrumque fecisse Aristotelem, vel ut alii principatum tribueret, vel ut ipse loquens eumdem teneret, intelleximus ex illa ad Atticum epistola, confirmaturque alio loco

Ciceronis ad Quintum frat. III, 5, 1, ubi quum dixisset a Salustio monitum esse se de personis librorum De Republica mutandis, propterea quod non esset Heraclides Ponticus, sed consularis, itaque multo maiore auctoritate ipsum in illo sermone disputaturum, haec ad postremum ratio Salustii memoratur: *Aristotelem denique quae de republica et praestante viro scribat, ipsum loqui.* Quippe concedi nullo modo potest sic indicari octo Politicorum libros, quod Manutius ad h. l. putabat; sed, ut superiora sunt de consilio sermonis fingendi, omnisque dubitatio de hoc uno erat, utrum ipsius in eo partes esse deceret, sic necessario haec postrema de Aristotelis ex eo argumento dialogo accipere oportet, sive is Πολιτικός fuerit, (Diogen. Laert. V, 22) sive alius. Sed *Aristotelius mos* in illa ad Lentulum epistola non nisi ad universum institutum dialogorum referri posse videtur: id quod tum illa epexegesis indicat, *in disputatione ac dialogo*, tum ea quae interponuntur, *quemadmodum quidem volui*, quae non ad delectum ex duabus illis formis dialogorum, sed ad artificium cuiusque sententiae explicandae, et in utramque partem disputandi referenda sunt. Nam huius generis principem et auctorem Aristotelem habere solebat Cicero. Hinc De Fin. V, 4, 10, posteaquam commemorasset quid in rerum natura explicanda praestitissent Aristoteles

ac Theophrastus, sic pergit: *disserendi quoque ab iisdem, non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta*, cet.: qui locus primum maxima distinctione a superioribus est distinguendus, tum corrigendus erat initio, sicuti fecimus, ut ex *disserendique* efficeremus *disserendi quoque*. Quibus rationibus permotus, *Aristotelium morem*, ut dixi, non alium intelligo, nisi tum universe disputationis et sermonis artificium, tum varietatem illam et copiam in quamvis partem dicendi.

Satis, credo, intellectum est, eius dialogi formam, qui, auctoribus maxime Peripateticis, excepit praeclarissimam illam speciem Socraticorum dialogorum, cognoscendam nobis esse e Ciceronis voluminibus, qui nulli praeter istos aemulatus est. Nam hic, quamquam Platonem maxime admirabatur, omnibusque anteferebat, vere tamen sensisse videtur, sicut eius orationem, (Legg. II. 7, 17) ita ne virtutes quidem illas dialogi imitando assequi posse: et quamvis sit magna praestantia eorum quae ipse in dialogo disputavit, Platonicae tamen venustatis et Socratici ingenii vix quidquam simile deprehendas. In quo veterum prudentia agnoscenda est, qui, sublata naturae auctoritate,

imagines sequi noluerint, quae ex ipsa natura tamen expressae erant, cuiusque perficiendi spes nulla daretur, ne aggrediendi quidem temeritatem susceperint. Neque tamen eo minus, quodcumque per dialogum a philosophis inde ab Aristotele editum est, debetur Platonis cuidam imitationi, et omnino huic opinioni, haud exiguam inde suavitatis commendationem gravissimarum rerum disciplinae orituram, multorumque studia tum excitari tum retineri posse. Diu erat, quod philosophi et rhetores intra scholae umbram continebant sese, ex una familia tamquam in stirpes divisi suis quisque placitis excolendis demonstrandisque dediti. Ita, quae Socrate auctore philosophia facta erat popularis et urbana, tamquam in oculis civium et consuetudine versata, nec fori tumultum, nec palaestrae aut tonstrinae aut balnei celebritatem, nec otiosorum conventum aut convivii levitatem reformidans, eamdem, qui post fuerunt, intra arctissima spatia horti aut gymnasii cuiusdam incluserunt, et totam esotericam reddiderunt. Quis autem dubitat, quin, moribus mutatis docendi, ipsam quoque scribendi formam mutari necesse fuerit? Hinc igitur totum illud genus *συνταγματικόν*, quod in omnibus disciplinis dein dominari coepit. Sed hac disputandi severitate, saepe etiam obscuritate, quum, ut credibile est, de-

terreri viderent multitudinem ab iis quae profiterentur, aut fortasse veteris vi cognationis, quae olim utramque disciplinam dicendi et cogitandi complexa erat, revocarunt philosophi hanc sapientiae simul et eloquentiae ἐπίδειξιν, fictum quoddam genus sermonum, quibus non tantum nulla veritas subesset, sed hoc quoque abesset, ut, quod in scenicorum tamen fabulis obtinetur, aut veri specie fallerent alios, aut percellerent admirabilitate. Quod si cui durius et iniquius pronunciatum videatur, quum praesertim perfectissimis utamur Ciceronis in hoc genere monumentis, is hoc velim reputet, non intelligi nunc a me aut orationis ornatum et castitatem, aut exquisitissimarum sententiarum lumina, aut demonstrandi omnino perspicuitatem ingeniique laudem, sed ipsum habitum in quem haec omnia includuntur. Quid enim? quum ita docere vellent, non ludere tantum, singula ordine erant edisserenda, ita ut longiores plerumque postularentur orationes, nec locus ullus esset aut gratae negligentiae sermonis familiaris, aut lacessendi repellendique acumini, aut suavissimae actionis vicissitudini et inconstantiae. Congregantur ii ad disputandum, quorum docta et verbosa oratio prodit statim destinatam sententiam, itaque plerumque partes distribuuntur, tamquam si consti-

tuto inter ipsos convenisset, ut sua quisque primum copiose explicaret, tum sine ulla cum adversario contentione dimitteret. Quibus haec confirmentur, plenus est Cicero. Non facile aliud volumen reperiemus, quod libris De Oratore anteponamus: et tamen, quamquam inculcatur hoc fere a singulis, non tamquam scholam se habiturum, nemo non subinde scholae praecepta declamat, acute et apte singula definitione ac divisione explicans, confirmans exemplis, exercendique positis praeceptis. Quae, quaeso, certatio est in libris De Finibus, aut De Natura Deorum, aut in Tusculanis? quamquam in his profitetur adeo se morem imitari Graecorum, ut, posita sententia ab alio, continuo contra disputaret; sed in illis, et in reliquis, nusquam congrediuntur colloquentes, quietique discedunt tamquam si neminem praeter se audivissent. Quapropter relinquitur totum hoc quidem genus dialogorum nihil aliud esse praeter dicendi exercitationem in utramque partem, utilissimam sane in schola, sed quam ostentationem iure appellaveris simulatque foras prodeat. Quoties istam arrogantiam spissae et productae orationis in sermone exagitat apud Platonem Socrates! Itaque si maiores illos dialogos excipimus, intra naturae nisi severitatem, at certe similitudinem mansit politissimus scriptor. Aristotelicum dialo-

gum prava peperit opinio, quaecumque distributis inter plures partibus disputarentur commendationem maiorem habitura esse tum suavitatis, tum perspicuitatis: quumque, ut fit, legerentur tamen ista a multis, quae nisi summa cum offensione acta videre nemo potuisset, reliqui coeperunt imitari, rectum esse opinantes doctorum potius virorum sequi auctoritatem, quam ut ipsi, quid deceret, quidque efficere ipsi possent, exquirerent.

Sed, ne occupemus ea quae post dicenda sunt, quaeri poterit, quoniam Ciceronis illam imitationem attigimus, sintne nonnulla, in quibus hic discesserit ab auctoribus quos sequebatur maxime. Quo loco occurrunt primum exordia a Tullio singulis libris, saepe etiam partibus librorum praeposita: quem morem Graecis credo incognitum fuisse, et in quibus προσφωνήσει quadam usi sunt, ea mihi videntur αὐτοπρόσωπα fuisse. Cicero novo quodam, ut videtur, instituto sic utitur, ut copiose simul et ornate de se memoret, deque omni consilio studiorum eiusque operis quod aggreditur, tum ut suavissime sermonis opportunitatem et locum et personas describat: et, ut alia multa, totum hoc praefandi negotium ad scribendi exercitationem contulisse videtur, qui, ut ipse testatur in quadam ad Atticum epistola, ante

praeparata exordia atque elaborata haberet, unde, si quid editurus esset, sumeret quod praeponeret. Non solebant omnino Graecorum praestantissimi quique tale vestibulum moliri iis quae conderent: minimeque omnium suarum rerum disertam mentionem prius legentibus obiiciebant. Quid usquam Plato de se? aut quid reliqui? quos adeo quum demonstrare vellet Cicero (Pro Arch. 11, 26. Tusc. I, 15, 34) gloriam non contemsisse, nihil habuit quod iis obiiceret, nisi nomina sua in libris inscripsisse: in ipsis operibus ne illud quidem fecerunt, quod Phidias, quem sui similem speciem inclusisse ferunt in clypeo Minervae. Sed nonnullam habêt istius redundantiae excusationem Cicero, quod, quum solus fere esset e togatis et honoratis viris, qui in his studiis et multum operae poneret, et eadem literis illustraret, huius instituti novitatem offensionemque deprecari necesse existimabat, gravitatisque commendationem iis conciliare conabatur, quae aut levia nonnullis, aut plane spernenda multis videri solebant. Igitur principes etiam in civitate viros, qui tamen vix quidquam edidissent, ita non alienos ab illarum artium studiis fuisse demonstrat, ut praeclarae potius eruditionis praesidio tantam et in curia et in populo auctoritatem adepti viderentur. Hinc doctae illae disputationes, quae claris et antiquis

personis tributae, fictae profecto sunt ultra id quod verum erat, sed qua fingendi libertate utebatur tum ut illorum studiorum invidiae occurreret, tum ut nobilitatis quamdam societatem tutelamque iis conciliaret, quibus ipse praeter ceteros delectabatur.

Ipsam dialogi in disputando formam quod attinet, cuius causa omnis haec quaestio a nobis suscepta est, ea maxime placebunt semper quae ad vitam, et tamquam ex ipsa natura expressa sunt. Quod quum dico, non postulo equidem admirabilem illam Platonis suavitatem in *σκηνογραφίᾳ*, et in scenica illa descriptione et adumbratione personarum; sed ipsam sermonis vicissitudinem intelligo, quae doctrinae locum tueri debeat. Hoc autem quo pacto consequetur, nisi demonstrandi argumenta quae ponuntur singula explorantur, non continua oratione deinceps effunduntur? Habet enim hoc sermo, qui quidem inter eruditos homines oritur, nihil ut sine animadversione praetermittatur, nihil sumatur nisi cuius ab adversario rationes expendantur et oppugnentur, nihil concludatur sine diligentissimo iudicio quid ex quaque re consequi possit, nihil denique sive in verbis, sive in conformatione sententiae ambiguum exsistat, quin contrectetur et in omnem partem excutiatur. Itaque in quibus

dialogis haec vere et sine ambitione servantur, occurritur quodam modo haud sane exiguae molestiae, qua afficimur legendis iis, quae quis liberius et non interrupta oratione disputet: contra, quae singula in mentem venire legentibus solent, ea excipiuntur et prudentissime muniuntur, tum in defensione rursus elevantur, ita ut animus salutari illa dubitandi agitatione et acuminis quasi quadam reciprocatione ipse sermoni interesse sibi videatur, suas certe partes agi putet, neque, quod fere in iis usu venit quae in altero illo genere scribuntur, tamquam opus artificis consideret et admiretur, sed in quo sui ratio nulla prorsus habita sit: ex quo fit, ut, nisi assiduo flumine orationis obruitur, doctrinae fructum non percipere liceat nisi interpellet continentem orationem, ipseque tacito contendat utriusque sententiae contrarias rationes. Sed has virtutes, ut in praestantissimis quibusque Platonis dialogis admirantur omnes, ita prorsus desiderari contendo in Aristotelico dialogo: atque hoc ipsum est quod initio spectavi, perversa oriri scribendi genera, simulatque naturae veritas deseritur, et nescio quae auctoritas potius arripitur temere, ut, quae alienissima sunt inter se, quaesito artificio iungantur. *Pictoribus* sane *atque poetis —; sed non ut placidis coëant inmitia:* neque quae perpetua oratione in utram-

que partem disputantur, si modo hic illic incisa sunt, et inter plures personas aequabiliter dispertiuntur, continuo sermonis veram indolem et proprietatem induunt. Quamvis multa in tali scriptorè laudentur, et niteant, et admirationes efficiant; *caret arte — quia ponere totum nesciet.* Senserat, credo, Cicero quam difficile, aut fortasse insuperabile esset Platonem imitari in Gorgia, aut in Protagora, aut in Phaedone: sed nollem perversa auctoritatis calumnia et Aristotelicorum exemplo adductus esset, ut Rempublicam et Leges sumeret quae sequeretur, quae quibus carent virtutibus, in iis sunt omnia, nullis aliis laudibus, quamvis praeclarissimis, compensanda, omniumque minime integri diei spatio ad disputandum consumto.

Minime otiosam aut supervacaneam istarum rerum esse considerationem si qui forte vestrum, Auditores Ornatissimi, nunc minus sentitis, at plane intelligetis, quum ipsi aliquando ad scribendum accedetis, deliberandumque vobis erit, quid cuiusque natura suadeat, qui auctor, velut exemplum, deligendus sit, quaeque in ipso fugienda, quae contra maximopere consectanda sint. Sed multo magis inquiretis ista, quum de forma et genere scribendi agitur in quo non excluditur quidem doctrina, sed tamen delectatio potissimum

quaeritur; quippe in quo pleraque ficta, et arte structa, et ita composita esse oportet, ut a scriptoris persona animos eorum qui vel legunt vel audiunt avertant, alioque traducant. Sed acriter intuentes reperietis longe maximam partem istius epidictici generis et μιμητικοῦ sic demum probari potuisse, si primum e natura expressum esset, tum si mori et tamquam disciplinae hominum et temporum, quibus edebatur, conveniret: unde hoc consequitur, permulta esse in veterum literis genera scribendi, quae si quis hodie aemulari cupiat, ingeniosum fortasse, sed certe stolidum et ineptum haberi oporteat. Quid de poesi sentiam, tum dicam, si constabit minus iracundam hanc nationem esse; de quo dubitasse ipsum videmus Platonem (Rep. X. p. 595. B.) Nunc hoc agimus, ut persuasum nobis sit, bene scribendi sapere si et principium et fons est, haud exiguam sapientiae partem in eo delectu versari, quam formam et tamquam habitum imponamus iis, quae explicare aliis cupiamus; tum optime hoc iudicium regi diligentissima consideratione veterum monumentorum, et hunc praecipuum fructum esse, quem ex illa cognitione percipere liceat. Sic enim habetote, veterum literarum studium primum quidem scientiae laude censeri multarum rerum, sine quibus vera eruditio ipsaque humanitas

constare nequeunt; sed inanem esse et vanam omnem contentionem, mancam certe nec nisi inchoatam doctrinam, nisi postremo referatur ad cogitandi enunciandique periculum, atque in aciem et in lucem producatur. Cuncta illa quibus ingenium excolitur diligentissima commentatione Graecorum Romanorumque scriptorum, sive ea ad grammaticam subtilitatem, sive ad historiae multarumque aliarum rerum pervestigationem pertinent, ita magna, illustria, praeclara sunt, si iis tamquam fundamento superstruuntur ipsius opera ingenii, in quibus demum exstabit quos fructus illa studia tam difficilia, tam ardua, tam plena laboris tulerint, quantumque inde quisque ad eam facultatem profecerit, quae una omnium maxime eruditum a vulgi ἀπειροκαλίᾳ discernit. Quapropter et in illis quanta fieri potest summam diligentiam et industriam collocatote, et in hoc efficiendi conatu aliis probandum esse existimatote, quid et quantum illis studiis debeatis. Quid enim? qui diligit veteres illos, qui eorum satiari lectione non potest, qui numquam inde discedit nisi novae aut recentis admirationis voluptate beatus, nihilne is tentabit? non exseret suas ipse vires? non excolet quam a natura nactus est facultatem, doctrinae praesidiis instructam? non exercebit eamdem in illustrium exemplorum imitatione? non co-

nabitur aliquid efficere et exstruere, quod, tinctum fortasse illa auctoritate, suum tamen appellare possit? Sane, et faciet, et, si ipsa scientia virtus est, hanc demum actionem esse existimabit, in qua, sicut Cicero in alia re dixit (Offic. I, 6.) virtutis laudem omnem consistere, eamque ipsam opinionem in interpretandis diiudicandisque veteribus literis utilissimam esse sentiet. Est enim verissimum Longini dictum, (Sublim. VI. 1) *ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐςι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.* Nam quemadmodum singula, ne minima quidem, negligere non oportet, ita longe gravissimum est iudicium de universis, de forma et genere cuiusque partis literarum, deque omni illa progressione et vicissitudine studiorum et ingeniorum.

II.

Exponuntur duo loci Aristotelis, alter e deperdito opere De Poetis, alter e libello De Poetica.

Quem supra p. 7. indicavi tantum Aristotelis locum apud Athenaeum XI. p. 505. C, nunc de industria tractandus est, siquidem et perperam exponi eum deprehendi, nec mendo caret. Excitat haec verba Athenaeus ex Aristotelis libro *περὶ Ποιητῶν· οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμήσεις, ἢ τοὺς Ἀλεξαμένου τοῦ Τηΐου τοὺς πρώτους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων.* Non alio consilio haec apponit Athenaeus, nisi ut diserto Aristotelis testimonio confirmet, non exsti-

tisse Platonem inventorem formae dialogorum, sed ante eum invenisse *τὸ εἶδος τῶν λόγων* Alexamenum: tum hoc subiicit, verbis illis Aristotelem plane affirmare, *πρὸ Πλάτωνος διαλόγους γεγραφέναι τὸν Ἀλεξάμενον·* quae in ipsius loci interpretatione minime negligenda esse mox apparebit. Quaerenda sunt autem tria: primum, quid de Sophronis mimis dicat philosophus: tum, quid de Alexameno: postremo, quo consilio cum istis Socraticorum dialogorum mentio coniungatur.

Hermanni interpretatio, (ad Aristot. De Poetica p. 93) quod ad primam dubitationem attinet, haec est: *ergo neque Sophronis mimos — metricos sermones et imitationes appellabimus.* Recte, quod *ἐμμέτρους* ad praedicatum pertinere vidit; (sicut Valckenaerius ad Adoniaz. p. 199. A) secus, quod ea tribuit Aristoteli, quae a perpetua eius sententia aliena sunt: quod, quo magis perspicue explicemus, statim alter locus, ex integro libello De Poetica I. § 7 sq., apponendus est. Est autem huiusmodi. *Ἡ δὲ ἐποποιΐα, μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς μέτροις· καὶ τούτοις εἴ τε μιγνῦσα μετ' ἀλλήλων, εἴ θ' ἑνί τινι γένει χρωμένη τῶν μέτρων τυγχάνουσα μέχρι τοῦ νῦν. οὐδὲν γὰρ ἂν ἔχοιμεν ὀνομάσαι κοινὸν τοὺς Σώφρονος καὶ Ξενάρχου μίμους, καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους. οὐδὲ εἴτις διὰ τριμέτρων ἢ ἐλεγείων, ἢ τῶν ἄλλων τινῶν τοιού-*

των, ποιοῖτο τὴν μίμησιν. Copiosi sunt in his interpretandis Tyrwhittus et Hermannus; quorum postremi sententiam exploremus.

Ante omnia autem hoc teneamus: toto hoc Primo Capite hoc demonstrari, *poetices* hanc esse naturam, ut in *imitatione* versetur: ideoque, enumeratis § 2. epopoeia, tragoedia, comoedia, dithyrambopoetica, tum auletica, et citharistica, πᾶσαι, inquit, τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις τὸ σύνολον, sed aliae vel aliis rebus, vel alia, vel alio modo imitantur: itaque si quaeritur quibus rebus singulae imitentur, (nam, et quae, et quo modo imitentur, post explicat,) omnes absolvunt imitationem, ποιοῦνται τὴν μίμησιν (quod verbum ad communem poetices definitionem refertur) ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ καὶ ἁρμονίᾳ, iisque vel seorsum, vel mixtis: in iisque quae harmonia et rhythmo utuntur exempli gratia memorat auleticam et citharisticam; quae uno rhythmo sine harmonia, saltandi artem. Nunc sequuntur illa quae apposui, ἡ δὲ ἐποποιΐα κ. τ. λ. »Ἐποποιΐα, inquit Hermannus, latiore sensu dictum. — Est enim ἐποποιΐα hic poesis, quae sola oratione utitur, cantu »autem et gestu actoris caret. Orationem autem, »quae est in epica poesi, et habere metrum, et »carere eo posse censet Aristoteles, ut mox demonstrabitur." Ultra quam decet progredi Her-

mannum, probaturum esse me spero. Nam ipsum vocabulum *ἐποποιΐας* non adstrictum esse certo metro, hic fortasse indicat quoque Platonis locus Legg. VII. p. 810. E: *ποιηταὶ ἐπῶν ἑξαμέτρων καὶ τριμέτρων καὶ πάντων δὴ τῶν λεγομένων μέτρων.* Sed quid de Epopoeia monet philosophus? Imitari eam neque *ῥυθμῷ*, neque *ἁρμονίᾳ*, sed *μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς.μέτροις.* In his, *ψιλοὺς λόγους* interpretatur Hermannus *prosam orationem*, rationesque affert has: commemorari Sophronem, Xenarchum, et Socraticos dialogos, tum addi dein, in *metro* non esse positam naturam poeseos. De postremo assentior: nam *imitationem* in definitione poeseos posuerat Aristoteles. Sed id, quod vult Hermannus, poesin in prosa quoque cerni oratione, inde consequi non puto. Nam, quod dein neque Empedoclem *poetam* appellandum esse, neque Chaeremonem dicit, quamquam uterque metro utatur, confirmat quidem illud, quod modo dicebam, *κατὰ τὴν μίμησιν poetas* censendos esse, non tamen excludit alterum, *metrum* ab iis in illa *imitatione* usurpari. Sed quorsum illa commemoratio Sophronis et Socraticorum dialogorum? Temere mihi videtur, pace viri summi dicam, coniungere eam Hermannus cum illa ratione, qua poetae imitationem consequuntur. Contra, sicuti nusquam per totum li-

bellum eadem excitat, ita hoc loco segregare potius a poesi videtur Aristoteles mimos et Socraticos dialogos, quos, quamquam pariter in imitando versentur, tamen, quod metro non utantur, communi *poetarum* nomine complecti se non posse affirmat: et rursus, non omnes, qui metra usurpent, poetas idcirco habendos esse, si imitationem negligerent: nam in his quoque verbis § 9. legendum est προΐοιτο τὴν μίμησιν, quod verissime in § 12 coniecit ediditque Hermannus. Huic autem firmissimum, ut arbitror, sententiae suae praesidium positum videtur in ipsa vi locutionis, qua ψιλοὶ λόγοι dicuntur. Verissime monuit Schaeferus ad Dionysium de Composit. Verb. p. 136. a., ψιλὸς, quid quoque loco valeat, ex oppositione eruendum esse. Igitur bis apud Aristotelem Rhetor. III, 2, 3 et 6, ἐν τοῖς ψιλοῖς λόγοις accipiendum est, *in prosa oratione*: sed ex hoc libello De Poetica II, 5, (non 19) quem excitat locum Hermannus, tantum abest ut illam capiat interpretationem, ut excludat potius. Nam in verbis, περὶ τοὺς λόγους δὲ καὶ τὴν ψιλομετρίαν, prius quod ponitur, οἱ λόγοι, potest sane ad omnem orationem, nec tamen necessario debet ad prosam referri: verum ψιλομετρίας vocabulum ipsum per se indicat, recte quoque ψιλὰ μέτρα intelligi, metra quae cantu et gestu actoris carent,

i. e. nuda oratio metrica, cui neque ἁρμονία, neque μέλος additum sit. Altero loco VI, 26, primum οἱ λόγοι de universo genere orationis dicitur, tum opponuntur sane inter se τὰ ἔμμετρα et οἱ λόγοι, sed omnium minime sic demonstratur ψιλοὺς λόγους non nisi de prosa oratione dici. Plato in Gorgia p. 502, C., si quis, inquit, poesi auferret τό τε μέλος καὶ τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸ μέτρον, reliquum erit οἱ λόγοι. Sed non est haec oppositio: detractio est, quae ipsa indicat τοὺς λόγους et metro constare posse; et carere eodem. Idem Legg. II. p. 669. D, conquerens humanos poetas permiscere et confundere ea, quae genere alienissima sint, tum distrahere, quae natura sint coniuncta, διασπῶσιν, inquit, οἱ ποιηταὶ ῥυθμὸν μὲν καὶ σχήματα μέλους χωρὶς, λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες· in quibus negari non potest nudam orationem indicari, sed coniunctam illam cum metro, et oppositam τῷ μέλει. Et simillimum huius est illud, quod Cicero enunciavit Orat. 55, 183: *quamquam etiam, a modis quibusdam cantu remoto, soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque poetarum eorum, qui λυρικοὶ a Graecis nominantur, quos quum cantu spoliaveris, nuda paene remanet oratio.* Rursus alio modo explicandum est in Platone Legg. VII. p. 811. E, ψιλῶς οὕτως ἄνευ τοῦ γεγράφθαι

λεγόμενα, de nuda pronunciatione sine scripto. Nihil video his exemplis confirmari Hermanni interpretationem: et consentaneum est in Aristotele *τοὺς ψιλοὺς λόγους* esse ***nudam orationem***, i. e. quum § 4. dixisset artes illas absolvere imitationem *ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ καὶ ἁρμονίᾳ*, duobus illis detractis, de Epopoeia necessario dixit *λόγοις ψιλοῖς ἤτοι μέτροις*, (quo modo levissima mutatione corrigendum videtur) i. e. ***nuda oratione sive nudo metro.***

Si qui sunt autem, qui Epopoeiam in Aristotele ita latiore sensu appellari intelligant, ut alia quoque poeseos genera complectatur, ii non attendere videntur philosophum, ut modo ante designavisset quae artes vel uno rhythmo, vel harmonia continerentur, nunc indicare voluisse hoc genus poeseos, quod una oratione sive metro constaret: si quidem § 13 nonnullas formas esse docet, quae tribus illis, *ῥυθμῷ καὶ μέλει καὶ μέτρῳ*, utantur, (ubi rursus *μέτρον* pro *λόγος* ponitur,) ut dithyramborum poesin aliasque. Tum additur de Epopoeia, eam metris (eo enim refertur *καὶ τούτοις*, quod ipsum per se indicio est non distingui a se invicem *τοὺς ψιλοὺς λόγους* et *μέτρα*) vel mixtis uti, vel uno tantum genere quodam; quibus subiicitur, *μέχρι τοῦ νῦν*, i. e. epicam poesin hucusque uno tantum metri genere uti;

quasi hoc intelligat philosophus, nihil impedire quo minus hoc quoque carminis genus pluribus metris uteretur, dummodo citra rhythmum et harmoniam esset. Non acquiescit in hac perspicua sententia et facili interpretatione Hermannus. Repugnant, inquit, quae sequuntur: nam ad epicam poesin refert Sophronis et Xenarchi mimos, Socraticos dialogos, et Chaeremonis Centaurum. Scilicet, quum semel vir praestantissimus hoc sumsisset, prosam orationem tribui epopoeiae ab Aristotele, ista quoque, quae aut non perpetuo metro, aut omnino soluta oratione scripta erant, eodem referri putavit: quo nihil minus affirmari potest. Faciunt enim ea, quae loco apposito subiiciuntur, (*οὐδὲ εἴ τις διὰ τριμέτρων ἢ ἐλεγείων, ἢ τῶν ἄλλων τινῶν τοιούτων, προΐοιτο τὴν μίμησιν*, ut supra correxi) ut in praecedentibus quoque intelligamus indicari ab Aristotele, quam ob causam alia quoque minus ad poesin referre liceat. Igitur hoc dicit philosophus: subsisto in hac definitione, epopoeiam metro tantum, detractis reliquis duobus, contineri: et *μέχρι τοῦ νῦν* ita videtur adiici, quemadmodum alio loco dicit, *περὶ μὲν οὖν τούτων διωρίσθω τοῦτον τὸν τρόπον.* Si *μέχρι τοῦ* dixisset, absurdum quid affirmavisset, poesin appellandam esse, quae *quadamtenus* uno metro uteretur.

Quid igitur sibi volunt adiecta illa, *οὐδὲν γὰρ ἂν ἔχοιμεν κ. τ. λ.?* Apparet, credo, *κοινὸν* illud, quo neque mimos, neque Socraticos dialogos complecti se posse dicit Aristoteles, esse *poeseos* nomen. Ratio aperta est: nam alteri non toti metris constabant, alteri prorsus sine metris erant; quamquam utrique *μίμησιν* continebant. Et poema non intelligi sine metro, videmus apud eumdem Rhetor. III, 8, init., ubi, quum praecepisset de numero oratorio, quem constare rhythmo, ita concludit: *διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσαι.* Et hunc ipsum locum, quod obiter moneo, parum vere reprehendit Hermannus in Disputatione de Differentia Prosae et Poeticae Orationis Part. II. (Opusc. Vol. I. p. 121:) quandoquidem dubium non est quin Aristoteles eam intelligat poesin, quae, sicut in libello De Poetica dixit, *τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἤτοι μέτροις* uteretur: *ἀπολελυμένα* autem tum rhythmo praeterea, tum *μέλει* constant. Sed, ut ad mimos redeamus, conficiendum est ex nostra interpretatione, censuisse Aristotelem eos non esse *ἐμμέτρους*. Quo modo tamen Sophron ad metrorum quamdam similitudinem accessisset, ipse Hermannus recte exposuit in Commentario p. 93. Et, sicut de illis diserte pronunciandum erat, non referri ad poesin posse, quamvis in *imitatione* versarentur, ita necesse erat adiicere

Socraticos sermones, quos ille, fortasse callide, nec sine malevolentiae suspicione, e mimis pendere significat, interpretatione, quod Cap. I°. probasse me spero, non satis prudenti. Erit igitur haec istius particulae interpretatio: *Epopoeia nuda tantum oratione aut metro imitatur, sive mixto illo e pluribus, sive uno genere usa, eoque absolvatur illa definitio*: (deleto artic. ἡ ante μέχρι·) *nam neque ullo communi nomine, aut communi definitione, complecti poterimus mimos, et Socraticos sermones: neque rursus eos, si qui quocumque metri genere usi omitterent imitationem.*

De prosa oratione, contineaturne poeseos appellatione, non secus quam Aristoteli visum erat Platoni, qui in poetis non numerat eos, qui metro carent: certe in eodem libro VII. Legg. p. 810. B. haec scripsit: *πρὸς δὲ δὴ μαθήματα ἄλυρα ποιητῶν κείμενα ἐν γράμμασι, τοῖς μὲν μετὰ μέτρων τοῖς δ' ἄνευ ῥυθμῶν τμημάτων, ἃ δὴ συγγράμματα κατὰ λόγον εἰρημένα μόνον, τητώμενα ῥυθμοῦ τε καὶ ἁρμονίας, σφαλερὰ γράμμαθ' ἡμῖν ἐςι παρά τινων τῶν πολλῶν τοιούτων καταλελειμμένα· οἷς, ὦ πάντων βέλτιςοι νομοφύλακες, τί χρήσεσθε; κ. τ. λ.* Quae verba, licet difficili constructione laborant, tantum produnt tamen, segregari a poetarum carminibus ea, quae *κατὰ*

λόγον εἰρημένα μόνον sint, i. e. *καταλογάδην*· confirmaturque idem alio loco p. 811. E: tum notandum, non tantum *σύγγραμμα*, sed *γράφειν* quoque et *γεγραμμένα*, de prosae orationis compositione dici a Platone: conf. Sympos. p. 177. B. Hipp. Min. p. 368. C. Sed ipsum illum locum, quem primum apposui, vereor ut recte intelligat Astius, qui *πρὸς δὲ δὴ μαθήματα* interpretatur, *praeterea quod attinet ad opera poetarum:* si quidem *πρὸς* sane nonnumquam est *praeterea*, sed non nisi aut in continuatione et cumulatione eorum quae memorantur, aut diserta et absoluta sequente sententiae enunciatione. Necesse est igitur ut coniungamus haec cum superioribus, quod indicat coniunctio *δέ*· in quibus quum dixisset, nisi natura adiuvaret, non laborandum esse, in puerorum institutione, *πρὸς τάχος ἢ κάλλος ἀπηκριβῶσθαι αὐτοὺς*, nunc subiicit *πρὸς δὲ δὴ μαθήματα*, i. e. sed summa diligentia erudiendos esse ad disciplinas, non musicas, sed quae in scriptis voluminibus positae sint. Versatur autem Plato in describenda institutione puerorum, quae primo triennio, inde a decimo aetatis anno, per grammatistam traderetur, mox de citharistae et lyrae disciplina, per alterum triennium suscipienda, dicturus. Hinc *ἄλυρα μαθήματα* appellantur illa: sed vocabulum *ποιητῶν*, utpote e molesta interpolatione ortum, alienum esse su-

spicor ab hac praeceptione. Modo supra, p. 809. B. dixerat, *τὰ δὲ ἐν γράμμασι μὲν ὄντα, ἄνευ δὲ μέτρων κ. τ. λ.* Nam de poetarum carminibus, praecipue in rebus sacris, egerat p. 800 sqq.: nunc de scriptis monumentis cognoscendis quaerit universe, poetarum intelligens ea quae essent *μετὰ μέτρων*, iisque opponens, quae sine metris: sicuti diserte enunciat p. 811. E. *ἂν ἄρα που περιτυγχάνῃ ποιητῶν τε ποιήματα διεξιών, καὶ γεγραμμένα καταλογάδην·* tum poetas ipsos non nisi metrica oratione usos intelligi, satis confirmatur p. 810. E. Sed ex eadem observatione, siquidem non ipsa *γράμματα* aut metrica esse dicuntur, aut soluta, sed *μαθήματα*, corrigendum est, *τὰ μὲν μετὰ μέτρων, τὰ δ' ἄνευ ῥ.* Postremo, habita ratione vinculi eius, quo haec superioribus nectuntur, plene dein interpungendum est post *καταλελειμμένα*, ita ut *ἀνακόλουθον*, cuius ope vulgata lectio huius loci explicanda erat, excludatur.

Sed redeundum in viam est. Ostendimus modo, in libello De Poetica hoc velle Aristotelem, nec Sophronis mimos, nec Socraticos sermones poeseos appellatione comprehendi posse. Videamus numquid haec adiuvent alterius loci apud Athenaeum interpretationem. *Non appellabimus Sophronis mimos qui dicuntur, sermones metricos,* aut, quod melius est, *orationem metricam.* Huc-

usque verum vidit Hermannus: excluduntur mimi a poeseos appellatione; confirmanturque sic ea, quae de altero loco diximus. Sed, quod ex eiusdem interpretatione consequitur, *non appellabimus eos* μιμήσεις, non tantum Aristotelis sententiae, sed rei naturae adversatur. Adeo scilicet eae erant μιμήσεις, ut, si metro constitissent perpetuo, illo profecto nomine in poeseos definitionem includere debuisset Aristoteles. Suspicari enim non licet hoc voluisse Hermannum, ἐμμέτρους μιμήσεις quoque iungenda esse: quasi hoc dicat philosophus, *neque eas metricas imitationes appellabimus:* dici quippe potest μίμησις διὰ μέτρων, non item ἔμμετρος μίμησις. Sana sententia erit, si legetur καίπερ μιμήσεις· *non ea metrica oratio habenda est, quamquam sunt imitationes.*

Alexamenum porro sic in his commemorari, ut, quae de Sophrone dicuntur, de ipso eadem sint intelligenda, structurae modus evincit. Qui si, ut solent interpretari, Socraticos dialogos scripsisset, quid attinuisset Aristotelem tam graviter affirmare non esse eos ἐμμέτρους λόγους? Scripserit potius necesse est (nam aliunde prorsus nobis incognitus homo est,) aut mimos, aut alia quae in eodem ambiguo genere versarentur, ut aliis poema, aliis non item videretur. Sed erat hoc mimorum genus tamquam interpositum inter poesin

et prosam orationem in illo imitandi instituto: quorum exemplum etiam, ut Aristoteles significat, praeparaverat illam Socraticorum formam scribendi per dialogum. Atque hanc a vera poesi aberrationem per mimos, aberrandique progressum per dialogos, qui non e poetarum, sed e mimographorum exemplo fluxerint, indicari puto ad Aristotele. Hinc necesse est, sicut in libello De Poetica Socraticos sermones cum Sophronis et Xenarchi mimis quodammodo coniungit, ut nunc quoque tam cum Sophrone, quam cum Alexameno illi dialogi contendantur: id, quod in vulgata eius loci lectione minime apparet, quam vitiosam esse non dubito affirmare. Quid enim dicitur, si diligenter interpretamur? *Alexameni Socraticos dialogos qui primi scripti sunt.* Primum ridiculum est Alexameni et primos, et posteriores cogitare dialogos Socraticos, quos scripserit. Tum, donec aliunde quis doceat in Socraticorum dialogorum scriptoribus ullum fuisse Alexamenum Teium, prorsus reiicio hanc vitiati loci auctoritatem. Postremo, quod e sententiae structura conficiendum tamen est, ferri nullo modo potest, ut supra iam dixi, ut hos dialogos non esse *ἐμμέτρους* dicat Aristoteles. Quae difficultates tolli poterunt, si legimus, *ἢ τοὺς Ἀλεξαμένου τοῦ Τηΐου τοὺς πρότερον γραφέντας πρὸ τῶν Σωκρα-*

τικῶν διαλόγους, aut Alexameni dialogos, qui ante scripti sunt, quam Socratici dialogi: ita ut, quantum in loco truncato et abrupto coniicere licet, mimos potius ad sermonum genus abiicere, quam hos illuc pertinere significet. Certe illorum dialogorum inventum ipsis deberi Socraticis, ostendit quoque Demetrius de Elocutione, quum universae disciplinae rhetoricae, tum doctrinae Aristoteleae probe gnarus: qui quum § 297. Ed. Goell. memoravisset *εἶδος Σωκρατικόν*, cuius principes essent Aeschines et Plato, haec addit § 298, *εὐημέρησαν δ' οἱ τοιοῦτοι λόγοι τότε ἐξευρηθέντες τὸ πρῶτον κ. τ. λ.* Neque quidquam tamen impedit, quo minus in Alexameno non mimos, sed dialogorum quoddam genus, fortasse haud multum dissimile mimorum, intelligamus, nihilque adeo nisi hoc ex Aristotelis testimonio conficit Athenaeus, non item, Socraticos ab illo dialogos relictos esse.

Aliquanto liberius haec disputavi et verbosius, quod in recepta probataque diu praestantium virorum sententia refutanda vanitatem habere brevitas videbatur, aut turpem arrogantiam.

III.

Emendantur Libri Ciceronis de Oratore.
(Lib. I. Cap. 1—21, 95.)

In retractandis libris De Oratore, de novissimis editionibus unam usurpavi Henrichsenianam, multis illam nominibus commendandam, praecipueque ea in Romanorum hominum, qui memorantur, nominibus illustrandis diligentia, quae meam operam qualemcumque excluderet. Codices MSS. excussi duo, unum Vossianum, alterum Bibliothecae Publicae, quem Leidensem appello: integram utriusque collationem, ne huius libelli aut moles cresceret, aut horridior aspectus redderetur, in aliud et tempus et locum reservare decrevi.

Cap. 1, 1. *Si infinitus forensium rerum labor, et ambitionis occupatio, decursu honorum etiam aetatis flexu constitisset.* Orellius, haud immerito offensus asyndeto, edidit *et iam aetatis fl.* Sed non tantum otiosum, sed incommodum est *iam*, quod praesertim in utroque valeret, non ad solam aetatem esset restringendum. Vossianus liber habet *et aetatis* —, quod recipiendum existimo.

Ibid. 2. *Neque vero nobis cupientibus — recolendas.* Haec sic scripta, necessario nihil nisi confirmationem continent eorum, quae modo dixerat. Quum autem sequantur haec: *nam prima aetate* cet., consentaneum est ut in praecedentibus id dicat, quod ad totum aetatis spatium referatur. Excidere potuit *umquam*, post *neque vero.*

Cap. 4, 13. *Atque ut omittam Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa et perfecta est:* cet. Exemplum erat excitandum civitatis, in qua acerrima studia eloquentiae viguissent: quod extra Romanam civitatem, non nisi ab Athenis repeti poterat. Sed quid attinebat ab Athenis Graeciam separare? Aut quo modo ulla civitas *eloquentiae princeps* esse dicetur, si Athenis *dicendi vis et inventa et per-*

fecta est? Postremo, quid est ipsum hoc, *princeps esse voluit?* quasi de contentione sermo esset, aliosque habuisset Graecia quos eloquentia superare studeret. Alio modo Graeciam memorat Cicero Brut. 7, 26, sed ita ut diserte adiiciat praecipue ista ad Athenas referenda esse. Nam de eloquentia sic dicit, ibid. 13, 49: *hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum:* cet. Infra II, 2, 6, non memoratis Athenis, *Graecia, quae semper haec summa duxit.* Scilicet temere inserta, et reliquis accommodata est huiusmodi Grammatici cuiusdam annotatio, *quam semper eloquentiae principem esse vult:* quae forma annotandi creberrima est, v. c. in Scholiis Bobiensibus ad Orationes. His inductis, exsistet — *Graeciam, atque illas — Athenas*, in quibus *atque* est corrigentis sese, aut diligentius designantis: de quo usu vid. Goerenzius ad Fin. I, 10, 34.

Cap. 7, 24. *Venisse eodem socer eius qui fuerat, Q. Mucius, dicebatur.* In ipsa quidem lectione nihil improbandum est; sed interpunctio, quam Henrichsenius quoque sequitur, propterea vitiosa est, quod Indicativus *fuerat* sic in obliqua oratione, ex *venisse dicebatur* suspensa, relinquitur, pro *fuisset.* Quapropter sic distinguendum, *venisse eodem, socer eius qui fuerat,*

Q. Mucius dicebatur. Voss. habet, *socer qui eius fuerat.*

Ibid. 28. *nam me haec tua platanus admonuit.* Huius praeteriti ratio nulla excogitari posse videtur. Praesentem platanum adspicit, monstratque adeo: requiriturque *admonet.*

Cap. 8, 31. *populi motus.* Notissimum est, quam eleganti metaphora hoc ornaverit Cicero Planc. 6, 15, expressa e Demosthene: quodam modo praeiverat iam Homerus Iliad. B. 144, κινήθη δ' ἀγορὰ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης.

Ibid. 32. *Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non iure miretur summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat.* Scio haec sic scripta tolerari, et fortasse probari etiam. Non tamen reticebo quare in his offendar. Dixerat modo, nihil *magis proprium esse humanitatis, quam sermonem facetum ac nulla in re rudem.* Tum adiicitur illa *humanitatis* scilicet explicatio, *hoc enim uno praestamus* cet. Sed ita sermo quidem et oratio vindicatur humanitati, non item *sermo facetus ac nulla in re rudis.* Accedit, quod, quae ante in eloquentia extulerat, singula singulis enunciationi-

bus complexus erat, non addita explicatione. Neque hoc ipsum, quod oratione distamus a feris, ad unum *sermonem*, sed universe ad *orationem* referendum erat: et eo pertinent illa postrema, *quamobrem quis — antecellat*, in quibus diserta et opportuna istius praestantiae mentio (*quo uno — praestent*) excludere mihi videtur ea, quae nunc praecedunt: ipsumque hoc, *hominibus ipsis antecellere*, quis est, qui ad unum *sermonem* pertinere credat. In ipsis porro verbis hoc displicet, quod *exprimere dicendo sensa* dicitur. Primum, *sensa mentis* appellat alio loco, III, 14, 55: neque *dicendo* ea *exprimuntur*, (si quidem *dicere* non nisi in illa contentione orationis, et in oratore, ponitur) sed *verbis explicantur*. Haec nisi quis solvat, licebit illa, *hoc enim uno — possumus*, pro insititiis habere.

Cap. 10, 42. *Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique suo iure physici vindicarent —. Vindicare* exponi solet *vindicias agere:* quaero, qua auctoritate? aut quae sit verborum cum superioribus constructio? Praeterea si vel ipsum per se *vindicare* verbum iuris et iudiciorum esset, quid eo opus erat, post illa *agerent tecum lege?* Corrigendum esse puto *sua iure vindicarent:* siquidem, sicut in iis quoque quae de aliis philosophis

deinceps dicuntur, nunc memorari oportet, quorsum physici isti lege acturi essent.

Cap. 11, 45. Exponit Crassus interfuisse se principum, qui tum erant, philosophorum ac rhetorum disputationibus: eamque Athenis commorationem attigit Lyndenus De Panaetio p. 12, qui, Pighium secutus, eam ad a. u. 643 refert. Sed discrepat a sese Crassus, qui III, 20, 75, de eodem itinere loquens, *quaestor*, inquit, *in Asia quum essem*, — *et inde decedens Athenis:* hoc autem loco dicit, *quum quaestor ex Macedonia venissem Athenas:* quae ita conciliari putat Pighius Tom. III, p. 119, ut dicat, terrestri itinere Crassum ex Asia rediisse, sicuti Quintum fratrem scribat Cicero ad Att. III, 8, init., tardiusque propterea Romam venisse Crassum, et tribunatum integro anno post demum obtinere potuisse. Sed primum de more erat ut ex Asia Athenas navigarent; sicuti fecit sine dubio Ser. Sulpicius, (conf. ad Div. IV, 5:) tum *per Macedoniam* dicendum erat, non *ex Macedonia;* siquidem in illis locutionibus praep. *ex* cum provinciae ipsius nomine coniungi solet, in primisque addita vel magistratus, vel triumphi vel similis cuiusdam rei appellatione: conf. Beier. ad Fragmm. Oratt. p. 203. Bibl. Cr. Nov. III. p. 222. Dicendum igitur memoriae lapsu Ciceronem *ex Maced.* pro *ex Asia* scripsisse.

Ibidem quod memorat *Charmadam*, rectissime quidem sic nunc edere solent pro vitioso *Carneadem:* sed locum Orat. 16, 51 nondum a Meyero persanatum esse puto: de reliquis quippe concedens, quaero rectene dixerit Cicero, *quod Carneades noster dicere solebat. Nostros*, *vestros* sane appellare solet certae cuiusdam sectae philosophos, aut etiam principem, ut Platonem, Zenonem, Epicurum, quem quis potissimum sequeretur, *nostrum*, *tuum:* sed in Carneade, qui praesertim nihil scripti reliquisset, dici hoc nullo modo poterat. Quamobrem existimo *de Carneade* legendum esse, (ita ut discipuli cum ipso conferantur) et excidisse nomen eius, quem *nostrum* appellet Cicero, fortasse Philonis, quem operam Clitomacho certe dedisse auctor est Acad. II, 6, 16.

De Metrodoro, quis intelligatur, bene disputat Henrichsenius, esse Stratoniceum, non Scepsium illum rhetorem; idque unice confirmatur alio loco III, 20, 75, ubi hoc satis diserte explicatur, Scepsium illum in Asia, non Athenis esse auditum. Quod autem Ionsius Script. Hist. Phil. Addend. p. m. 350 ait, quod Stratonice paullo demum ante Epicuri mortem condita fuerit, non potuisse hunc Metrodorum Epicuri familiarem esse; non cogitavit vir egregius cognomen eum habere potuisse e loco, ubi postea ipse docuisset.

Ibid. 47. *longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo Platoni.* Haud immerito displicuit Matthiaeo istud *eloquentissimo.* Nec sane apte, hoc quidem loco, *in dicendo eloquentissimus* iunguntur, quae accurate disiunguntur §49. Quamobrem corrigendum videtur *elegantissimo*, quum praesertim eloquentiae laus memoretur mox, verbis *esse orator summus videbatur.* Praeterea disiungi ista sic oportebat, ut legeretur *et graviss. et elegantiss.* Mox, quem ordinem verborum tacite edidit Henrichsenius, *cum Charmada diligentius legi Gorgiam*, quem qua auctoritate Gruterus secutus esset nesciebat Orellius, eum servat liber Voss.

Ibid. 48. *in iure aut in iudiciis.* Corrige *et in iudiciis:* his enim duobus unum de tribus significatur, quae eloquentiae forensi assignari solent: coniungi autem ista, *ius et iudicia,* non disiungi apud Ciceronem, non est quod in tanta Indicum et Lexicorum ubertate doceamus. — Mox *copiose loqui* defendendum est a Beieri correctione, qui *eloqui* malebat: vid. ad Offic. I. 44, 156: nam tum istic, tum h. l. paulo inferius *eloqui* opponitur recte vel scientiae, vel cogitationi; id quod non cadit in hanc sententiam.

Ibid. 50. *quod non habuerit* (*Chrysippus*) *hanc dicendi ex arte aliena facultatem.* Rationes ex-

plicari non memini, quare sic, non, ut alii voluerunt, *in arte alienam* legendum sit. Nempe dicendi artem *alienam* a philosophia significare voluit; *ex* qua facultas illa oriretur: *in arte* referendum erat ad ipsam philosophiam, i. e. *in arte sua:* quod tum per constructionem, tum usu vocab. *artis*, alienum est a Ciceronis consuetudine.

Cap. 12, 50. *unum erit profecto, quod ii, qui bene dicunt, afferent proprium.* Libri vel *afferunt*, vel *afferant:* futurum est de Schutzii coniectura inutili, ut puto. Nam in praecipiendo tantum, quid fieri oporteat, futurum usurpari puto, ut § 54, *repugnabit:* itemque in continuatione praecepti, ut Cap. 52, 223, *teneat oportet venas cuiusque generis, — et eorum, apud quos aliquid aget, — mentes degustet.* II, 22, 90 init.: in causae explicatione Indicativi praesens ponitur, sicut infra II, 51, 221. Diversum est, quod mox sequitur § 51, *id orator, si — didicerit, dicet melius*, praegresso quippe futuro exacto: eademque de causa *defendet* recte servatur pro vulg. *defendat*, Cap. 57, 242, aliaque de causa diversum est id, quod est Cap. 15, 66 init.

Ibid. 54. *Atque totus hic locus philosophorum putatur proprius.* Non temere factum esse arbitror, ut alii maluerint *atqui* edere: nam altera illa coniunctio nectit ea, quae aliena sunt a se

invicem, certe quae nunc distingui opus est. Verumtamen ne sic quidem servabitur sollemnis in Cicerone argumentandi forma, in qua requiritur hoc, ut concedatur statim illum locum proprium esse philosophorum, non ut tamquam ab adversario obiiciatur. Praeterea, quae subiiciuntur, *neque orator, me auctore, umquam repugnabit*, non possunt non in parenthesi dicta esse, qua interrumpatur oratio instituta. Quod si verum est, nihil aptius consuetudini Tullianae est, quam ut reliqua, *sed, quum illis rerum cognitionem concesserit* —, contineant instaurationem non absolutae sententiae. Erit sic ab initio corrigendum: *Et quoniam totus hic locus* cet.

Cap. 13, 56. *Etenim quum illi in dicendo inciderint loci*, (*quod persaepe evenit*) *ut de diis immortalibus — sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia* cet. Primum *in dicendo* vix ferendum est, sequentibus *ut sit dicendum*. Tum, *quum — inciderint — clamabunt*, inepte legitur, quasi de praesenti aut futuro genere causarum, aut de praesentibus philosophis cogitaret Crassus, qui Romanos oratores admoniturі essent: contra hoc indicare volnit, quid perpetuo philosophi illi in oratoria arte notare solerent, quod obtinebimus, si legemus, *quum illi inciderunt loci — clamant, credo*, cet. Perf. Indicativi

tum ponitur, quum aliquid solere fieri indicatur: eaque de causa rectissime legitur Divin. II, 15, 36, *quum enim tristissima exta fuerunt* —, ubi perperam corrigitur *fuerint:* neque alio modo accipiendum est *posuerunt*, infra § 59: et in eadem aoristi potestate est *fecerunt* Cap. 27, 124. Mox meliorem ordinem, *sua esse haec omnia pr.*, ut Lambin., confirmat Voss.

Ibid. 59. *Numquam enim negabo* —. Sicut multis locis prava distinctio pessumdat argumentationem, certe plane obscurat; ita hoc loco ista ipsa, *numquam enim negabo — studium suum omne posuerunt*, in parenthesi dicta accipienda sunt, post quam demum absolvitur tota sententia, quae minime in verbis, *quos constat dicendi gloria praestitisse*, finitur. Itaque perperam Leid. mox omittit *dicam*, quod in instauranda et absolvenda sententia abesse non potest.

Cap. 14, 59. *Etenim saepe in iis causis, quas omnes proprias esse oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex forensi usu, — sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum atque assumendum.* Iniuria deseritur alterum, quod Pearcius et Ern. ediderunt, *sumendum.* Nam *assumuntur* ea, quae nostra non sunt, sed quae nostris addimus aliunde, sicuti est infra 37, 170. 50, 217: *sumuntur* omnia, veluti de communibus copiis.

Cap. 14, 63. *Illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse quod nesciat, neque si id optime sciat, ignarusque si sit faciundae ac poliendae orationis, diserte id ipsum posse de quo sciat dicere.* In his primum non recte dicitur *si id optime sciat*, minimeque, ut interpretatur Goerenz. ad Fin. p. 118 sq., *id* referri potest ad *quod nesciat:* sed, tum illo pronomine liberanda est oratio, quippe absolute dicitur *si optime sciat*, tum mox iterata coni. *si*. Nimirum iteratur *si* in iis conditionibus, quarum posterior nectitur quidem cum priore, sed ordine, saepe etiam tempore posterior tamen est, quod exemplo indicavi Bibl. Cr. N. III. p. 68: conf. pro Sext. 20, 45. Fin. II, 34, 112. Hoc autem loco posterior conditio et per se spectatur, et necessario ita cum priori iungitur, ut simul utraque cogitanda, aut potius pro una habenda sit: quare legendum est, *ignarusque sit.*

Ibid. 69. *Si modo erunt ad eum delata, et tradita.* Ernestus suspicatur postremum esse glossatoris, *delata* interpretantis. Immerito: aliud est enim *rem deferre ad aliquem*, aliud *tradere*, i. e. explicare et docere.

Cap. 16, 72. *Sed, ut solebat C. Lucilius saepe dicere, — sic sentio, neminem esse in oratorum numero habendum —.* Redundare di-

cit Ernestus *saepe*, similemque animadversionem Epistolis ad Div., veluti VI, 1, 6, adhibuit, quam suo loco refutabo. Sed gravius hoc est, quod persuadere sibi non potuit vir egregius, illam sententiam de oratoribus Lucilii esse, quem potius simile quid *de poëtis* dixisse, et hoc substituendum esse adverbio *saepe*. Verumtamen cadere hoc in Lucilianum ingenium in primis videtur, ut cum multorum reprehensione excellentia quaedam postuletur in oratore, sicut alios alia de causa perstringere saepe solebat: neque, quod nunc dicitur, plane idem est atque illud, quod supra Crassus postulaverat Cap. 8, 32. — Mox, quum de Lucilio dicitur, *mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat, familiaris*, nollem ab Henrichsenio repudiatam esse Ernesti correctionem, *quam volebam*, quam postulat Crassi humanitas: alterum non ferendae superbiae est.

Ibid. 73. *Ut, qui pila ludunt —: sic in orationibus hisce ipsis —.* Exemplum ubi ponitur, sic inchoare sententiam part. *ut* memini, velut Offic. I, 18, 59, multisque aliis locis. Hic autem similitudo infertur, qua priora explicentur et confirmentur: ideoque arctius haec cum illis nectenda erant, hoc modo: *an didicerimus: utque, qui pila l.* cet.

Cap. 17, 75. *Haec, quum ego praetor Rhodum*

venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam atque contemsit, cet. In his interpretes anacoluthiam indicare solent, quod *haec*, ab initio positum, suspensum est. Perperam tamen Henrichsenius pronomen illud interpretatur, *ea, quae a philosophis dicebantur*, ita ut *philosophiam* dein per epexegesin additum esse videatur. Hoc si verum sit, tolletur anacoluthon: sed verum non est. Constat enim tali pronomine non certum quid, sed universe locum, de quo quaeratur, significari, veluti nunc, quid omnino oratoris proprium sit, quid minus. Aptius tamen relativo idem fit; ut aliorum Codd., item Vossiani, lectionem restituendam putem, *Quae, quum praetor Rh. v.* Eiusdem rationis locus est supra Cap. 12, 53, et II, 11, 45.

Cap. 18, 81. *Nitidum quoddam genus est verborum et laetum, sed palaestrae magis et olei, quam huius civilis turbae ac fori.* Recipiendum id, quod Voss. offert, *et palaestrae magis.* Quippe praecedentia illa ne ipsa quidem sine reprehensione dicuntur, ut aliena a fori usu.

Ibid. 82. *Namque egomet, qui sero ac leviter Graecas literas attigissem, tamen, quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas*

venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus. Sed quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui a te modo sunt nominati, quumque hoc, nescio quo modo, apud eos increbuisset, me in causis maioribus, sicuti te, solere versari, pro se quisque, quae poterat, de officio et de ratione oratoris disputabat. Nulla magnopere in libris scriptis varietas lectionis deprehenditur: distinctio eadem ab omnibus editoribus servatur. Nihilominus permultum abesse arbitror ut apte conclusa sententia sit. Videamus quo modo cuncta nectantur. Iudicaverat modo Antonius de philosophorum oratione, quos Crassus memoraverat Cap. 11, 45 sq., non esse eam civilis turbae ac fori. Quibus quum subiiciat *namque egomet* cet., apparet huius iudicii rationem et tamquam excusationem explicandam esse, quum haec vulgo opinio esset, prorsus eum Graecarum literarum rudem esse: conf. II, 14, 59. Quid autem sequitur post illa, *qui sero ac leviter Graecas literas attigissem?* Nihil nisi hoc, *tamen Athenis sum commoratus:* neque hoc audiendorum doctissimornm virorum causa, sed *propter navigandi difficultatem.* Bella sane commendatio doctrinae! Sed, quae una fuerat memoranda, ea tamquam forte fortuna profertur dein, audi-

visse se quotidie fere disputantes philosophos: quae a principio avulsa et absurde disiecta, sic nectenda esse coniicio: *Namque egomet, qui sero ac leviter Graecas literas attigissem, tamen, quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, compluresque tum ibi dies propter navigandi difficultatem commoratus quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, quumque hoc — solere versari; pro se quisque* cet. In his quum suspensum esse videretur quodam modo *egomet*, insertum esse credo *sum:* quae causa fuit reliquorum turpiter disiungendorum. Sed attendi oportet ad illius pronominis usum. Nam, ut saepe *ego*, et *egomet*, ab initio sententiae ponuntur cum emphasi, nihil ut aliud velint, nisi *quod ad me attinet*, ita saepe quoque, quo perspicuitati consulatur, praemittitur relativo, sicuti *is*, *qui*, pro simpl. *qui*. Infra Cap. 21, 97: *ego enim, qui ab ineunte aetate incensus essem studio utriusque vestrum,— verbum ex eo numquam elicere potui —*. ad Div. VI, 21, 1: *itaque ego, quem tum fortes illi — timidum esse dicebant; — idem nunc nihil timeo.* Multisque aliis locis pronomen illud sic ab initio ponitur, non ut subiectum ingenti intervallo a verbo disiunctum, sed quod arctissime cum proxime

sequentibus nectendum sit: veluti h. l. *egomet*, *qui* — dicitur pro *quum ego* — *attigissem.* Unde apparet in clausula sententiae ne requiri quidem verbum, quod pronomini respondeat. *Quum*, in eadem constructione sine copula iteratum, offensioni videtur fuisse: cuius tamen et alia exempla sunt, et infra II, 67, 273. 70, 283. 71, 287. (ubi, omissa copula, legendum, *amici quum* —) Tusc. III, 32, 77: vindicavitque Gronovius in Livio XXVIII, 40, 2: adeo ut Cod. Voss. auctoritas fortasse sequenda sit, in extremis, *quumque hoc*, copulam omittentis.

Cap. 19, 85. *Disputabant contra diserti homines Athenienses et in re publica causisque versati.* In his *Athenienses* certe interpolationi debetur. Sed ea quae statim sequuntur, nondum perpurgata sunt: — *qui* (Menedemus) *quum diceret, esse quamdam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum, excitabatur homo promptus ab homine abundanti doctrina et quadam incredibili varietate rerum et copia.* Intellexerunt interpretes *excitabatur* necessario ad Charmadam referri oportere, sed impedire videbatur id, quod subiicitur, *ab homine abundanti doctr.* Itaque alius alio modo corrigere voluit: sed neque *excipiebatur*, neque

exagitabatur probari potest, quoniam *homo promptus* non Menedemus, sed Charmadas necessario intelligendus est. Schutziana coniectura, *ab homine* delentis, nihil adiuvat, et latinitatem evertit. Scribendum censeo, *excitabatur homo promptus, et omni abundans doctrina.*

Cap. 20, 93. *Neque artificium ullum esse dicendi.* Recipiendum videtur e Cod. Voss. *illud* pro *ullum*, i. e. illud *dicere* non constare *artificio.* Mox, *quae a doctissimis hominibus in philosophia dicerentur*, corrigendum *docerentur.* Sed extrema huius Capitis sensu idoneo carent. *In quibus dicere Charmadas solebat, ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans, me sibi perfacilem in audiendo* (Vett. Editt. *in dicendo*), *te perpugnacem in disputando esse visum. In quibus* bene servant Editores, i. e. quae quum disputabat. Sed quaeritur, quid ad Crassi admirationem pertineat Antonii *facilitas in audiendo;* et quid sit ipsa illa facilitas, (quoniam, quae ad Quint. fr. I, 1 (Cap. VII, 21.) laudatur, non est huius loci) aut omnino quid velit illa oppositio, Antonium *perfacilem*, Crassum *perpugnacem* fuisse? Fieri non potest, ut quid Charmadas de Antonio dixerit, cuius nullae partes fuerant in illa disputatione; de Crasso, credibile est; conf. supra Cap. 11, 47. Quapropter legendum arbitror, *te sibi et*

perfacilem in dicendo, et perpugnacem in disputando esse visum. Facilis, in dicendi virtute, ponitur Brut. 48, 180.

IV.

Continuatio (Lib. I, 21, 96. — 34, 159.)

CAP. 24, 112. *Equidem quum peterem magistratus, solebam in prensando dimittere a me Scaevolam —.* In his Ern. correxit *magistratum*, intelligendum addens, magistratum aliquem; nam alias parum aut nil interesse. Non refutavit hoc Henrichsenius, quum dicit, *magistratum* sic nude *κατ' ἐξοχήν* de consulatu nusquam usurpari. Sed, *petere magistratus*, si recte per se dici possit, significabit totum illud aetatis spatium quod in ambitione consumitur. *Prensare* autem in singulis honoribus, qui petuntur, usurpatur. Quapropter recte mihi videtur Ern. in-

tellexisse, »quum aliquem peterem magistratum:" eoque magis, quod, si temporis illud spatium indicaretur, scripsisset Cicero, *quum petebam magistratus:* contra, *quum peterem*, est, si quando aliquem honorem peterem. Cap. 56, 239, *quum aedilitatem P. Crassus peteret.* — Mox Voss. meliori ordine, *quum ita ei dicerem.* Sed in sqq. quoque minuta ne omittamus: — *me velle esse ineptum; (id erat enim petere blandius, quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri;) hunc autem esse unum hominem ex omnibus, quo praesente ego ineptum esse me minime vellem.* Parenthesi indicata ea a reliquis separavi, quae cogitasse, non dixisse Scaevolae existimandus est Crassus: quo probato, excluditur Voss. lectio, *bene non posse fieri:* et, si dixisset, legeremus *id esse enim* —. Sed a Matthiaeo dissentio, qui sequentia quoque, *hunc autem* cet. cogitata tantum a Crasso putat. Nam ita scripsisset Cicero, *hic autem erat homo* cet. Tum recepi *unum hominem*, ut Voss., pro vulgato *hominem unum.* Interest nimirum utrum subiectum pronomine jam indicetur, nec ne. Offic. III, 6, 28: *haec enim una virtus omnium est domina — virtutum.* conf. ibid. II, 8, 30. ad Div. XIII, 43, 1. 45, 1. Philipp. II, 3, 7, ubi subiectum (Antonio) e superioribus intelligendum. Orat I, 37, 171:

contra, ubi sine pronom. praecedente subiectum substantivo indicatur, secundo loco est *unus*, ut Brut. 6, 25, *rem unam esse omnium difficillimam.* Planc. 41, 97. Neque hoc omittendum, *esse me* Vossiano deberi, pro vulg. *me esse.*

Cap. 25, 114. *Praeclare enim se res habeat, si haec accendi aut commoveri arte possint; inseri quidem et donari ab arte non possunt; omnia sunt illa dona naturae.* Displicet *haec*, quum praesertim praecedat, *qui haec putet arte accipi posse.* Quare, quum Voss. exhibeat *aut si haec*, legendum esse puto, *si aut accendi aut commov.* Idem liber Indicativos servat, *habet*, et *possunt:* recte, credo. In *omnia* haud immerito haesit Ernestus: corrigendum puto, *donari ab arte non possunt omnino, suntque illa dona naturae.* De asyndeto neminem puto dubitaturum esse, quin non sit huius loci: *omnino* sic in clausula poni, annotavit Goerenzius ad Fin. II, 31, 100.

Ibid. 117. *Q. Varium — illa ipsa facultate, quamcumque habet —.* Immo *habuerit*, ut modo de Caelio, *quamcumque assequi potuerit:* et sic Leid. Quod Voss. exhibet, *habuit*, neglecto compendio ortum. Neque obstat, quod biennio demum post Q. Varius sua lege ipse expulsus est: nam sermo est, ut apparet, de Varii adolescen-

tiae illo tempore, quo causis dicendis operam dabat, in quibus quamcumque facultatem habuisset, ea postea gratiam in civitate consecutus esset. — Mox Cap. 26, init. necessario legendum est, *Sed quum de oratore quaerimus.*

Cap. 26, 119. *Mihi etiam qui optime dicunt, quique id facillime atque ornatissime facere possunt* —. Apparet distingui ipsam dicendi virtutem (*optime dicere*) a facilitate efficiendi; unde, verbi causa, plurimum aberat Philippus, qui, ut II, 78, 316 narratur, *ita solebat ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus esset, nesciret.* Sed *ornatissime facere* hoc modo intelligi nequit, siquidem *ornate dicere* ipsum illud *optime dicere* est, quod *ornatissime fieri* absurde dicitur. Scripsit fortasse, (nam timide coniicio) *promptissime facere.*

Cap. 27, 124. *Altera* (*causa*) *haec est, de qua queri saepe soleo: ceterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi id quod scirent, putantur: Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut, Crudior fuit: oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiae peccatum videtur: stultitia autem excusationem non habet, quia nemo videtur, aut*

quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse. In his primum interpunctionem mutavi, quod in Editt. perperam illa postrema, *stultitia autem* cet., a superioribus separantur: sunt illa complementum argumentationis. Sed initio, *ceterarum homines artium* cet. vinculo carere non possunt quo iungantur cum praecedd. *altera haec est.* Hinc ortum esse puto, quod Vett. Editt. habent, ut Cod. Leid., *quod ceterarum* —. Voss. exhibet *de ceterarum* —*:* quod corruptum esse credo ex *etenim ceterarum* —*:* eaque forma demonstrandi plane convenit cum Graecorum usu, quum dicunt τεκμήριον δέ· sequente ratione ipsa cum partic. γάρ. Eadem forma, nunc obliterata, vindicanda est infra Cap. 61, 258, non nisi correcta distinctione: *Illud vero fuit horribile (quod, mehercule, vereor, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum:) voluisti enim* cet. Postremo, pro *quia nemo*, Voss. habet *quante nemo*, omisso *videtur:* corrupte sane, sed ex quo efficiendum *atque nemo:* siquidem explicatio traditur, non ratio redditur antecedentis.

Ibid. 125. *Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur; et, qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cuius autem in dicendo aliquid reprehensum est,*

aut aeterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis. Minutissimum est quod vindicamus, neglectum ab Henrichsenio. Apparet enim, haec, *qui semel* cet., hoc modo accipienda esse, *quum qui semel — non continuo existimetur nescire gestum, in eo, cuius — reprehensum est, aut aeterna — valet opinio tarditatis:* et in hac argumentatione postremum unice spectatur, iungendum cum primis, *quoties enim dicimus —.* Sed istiusmodi argumentatio aliunde suspensa esse solet: et nunc coniunctio *enim* cogitando iteranda est: quare *et* minima distinctione separetur a sequentibus.

Cap.28,126. *Non posse oratores evadere.* Duo postrema vocabb. interpolata sunt: *posse* sic absolute ponitur, ut mox 130 et 131: nec *evadere* sic plane usurpatur. Similis interpolatio infra II, 20, 85, *ut quid efficere possit, ante perspiciam.* Sed *efficere* dicitur in oratore iam causam agente, ut *efficere dicendo* (de quo Madvig. aliquo loco), minime in adolescente qui instituendus est.

Ibid. 127. *Satis est enim ceteris artificiis percipiendis, tantummodo similem esse hominis et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur si qui forte sit tardior, posse percipere animo et memoria custodire.* Non credibile est Ciceronem scripsisse, artificiis *percipiendis* satis esse

posse *percipere.* Voss. exhibet *perficiendis*, quod verum esse non potest, quoniam *perfectio* certe maius quid requirit. Credo utrumque interpolationi deberi.

Ibid. 128. *Quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.* Non quaeritur de probandis aut singulis illis in ceteris artificibus, aut omnibus in oratore, sed de ipsis et artificibus et oratore. Quapropter in fine necessario corrigendum, *probari non potest.* Decepit librarios subiecti mutatio, quum primarium, quod ad sententiam attinet, tum in *artificibus*, tum in *oratore* sit: conf. Offic. I, 17, 10 cum annot. Heusingeri, et Cortius ad Epp. ad Div. III, 6, 7. Sic De Opt. Gen. Orat. 2, 6: *ea igitur omnia in quo erunt summa, erit orator perfectissimus:* ubi verissime suspicatur Orellius *orator* a glossatore esse. Et Graecorum more, qui pariter *εἰ* pro *ὅς* ponunt, scripsit *si — adepti sunt*, pro *qui ad. s.*, et *nisi sunt in oratore*, pro *in quo oratore non sunt;* sicuti relativum ponitur in simili forma infra Cap. 29, 132, init.

Cap. 29, 133. *Nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices,*

quidquid est istud, quod tu in dicendo potes; neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quaerimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es,) quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes. Haec est venusta Cottae oratio, per ironiam ad Crassi modestiam comparata: nec tamen ea bene descripta. Itaque Matthiaeus de anacolutho indicando cogitavit, separavitque a reliquis omnia illa, *quidquid est istud* usque ad *contenti sumus;* sic ut instaurari videretur sententia in verbis *idque ex te quaerimus;* et his sequentibus iterari putavit illa quae praecederent. Sed anacoluthorum certa semper haec solet esse ratio, ut, cuius causa excurritur in protasi, neglecta absolutione institutae constructionis, id certe non iteretur. Tum, *quidquid est istud* non novam sententiam orditur, sed ponitur loco accusativi cum verbo *explices* iungendi. Nihil erit quod orationem impediat, levissima adhibita correctione, — *contenti sumus. Itaque ex te quaerimus.* Neque enim vere dixit Matthiaeus, iterari in his illa quae prius dicta erant: modo universe Crassi facultatem dicendi memoraverat Cotta; nunc agit de iis, quae sibi *praeterea assumenda* essent.

Cap. 30, 136. *Quid Crassus ageret meditandi aut dicendi causa. Dicendi causa* nihil agere poterat Crassus. Necessario, ut saepe alibi, corrigendum est, *discendi causa. Meditari* et *discere* ad illam exercitationem referuntur, de qua nunc quaerit Sulpicius: conf. § 147 fin.

Cap. 31, 141. — *alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus.* Fugit hucusque editores, corrigendum esse, *quae omnes:* neque enim ista de *argumentorum locis*, sed de ipsis *deliberationibus* dicuntur: et eadem ratione tum *iudicia*, tum *laudationes* explicat.

Cap. 32, 147. Postquam exposuerat Crassus de artis praeceptis, et artificium ipsum *etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale* esse dixerat; addit, *Et exercitatio quaedam suscipienda vobis est:* in quibus *et* de coniectura est, pro eo quod libri habent, *ea.* Sed aliud requisivisse viros doctos, apparet e coniectura Lambini, *praeterea*, et Mulleri, *etiam.* Facillime sanabimus, legendo *sed exercitatio —:* nam opponit exercitationis momentum illis artis praeceptis.

Cap. 33, 153. *Ut concitato navigio —.* Non patitur Ciceronis consuetudo ut ista per asyndeton inferantur: et, ut supra correximus Cap. 16, 73, ita hoc loco legendum, *Et ut concit. nav.*

Cap. 34, 154. Ut multis locis peccatur in interpungendo, eoque ipso vera interpretatio obscuratur, ita hic locus sic edendus erat: *sed post animadverti hoc esse in hoc vitii — quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem, — ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse* cet. *Quod occupasset*, rationem reddit, et in parenthesi accipiendum: *ita si* cet. absolutio est eius, quod initio posuerat, *hoc esse vitii*.

Ibid. 156. *Iam vocis et spiritus et totius corporis et ipsius linguae motus et exercitationes non tam artis indigent quam laboris.* Et hoc patienter tulisse viros doctos miror. Perpetuo opponuntur inter se *ars* et *exercitatio*; et tamen nunc dicitur *exercitationes* non esse *artis*. Corrigendum, *incitationes*. Modo supra de eodem exercitationis genere, Cap. 33, 149, *vocem et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant*.

Ibid. 157. Petierat Sulpicius a Crasso (Cap. 32. fin.) ut de *exercitatione*, quid sentiret, explicaret. Igitur hic primum stilum commendaverat: tum illas commentationes, quae in Latine reddendis Graecorum orationibus versabantur:

dein de voce et corpore exercendo, postremo de exercenda memoria dixerat. Sequitur § 158 commendatio legendorum optimorum poetarum et scriptorum, quae lectio ad exercitationem disputandi conferenda esset: tandem iuris civilis aliarumque rerum disciplina memoratur. Verum mediis illis interponuntur haec: *educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem; subeundus usus omnium, et periclitandae vires ingenii, et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est.* Non amplius sunt ista *exercitationis*, sed ea, quae post exercitationem suscipi possunt: itaque accurate distinguuntur in Orat. 13, fin.: et Antonius infra, II, 24, 99, tum demum *ad causas deducendum* vidit, quum de illo exercendi genere absolutum esset. Quapropter, etsi videbitur nonnullis audacius, vehementer suspicor totum hunc locum insititium esse: quod quo magis credam, efficit insolita quaedam, in hoc certe placido disputandi et praecipiendi genere, verborum copia, non tantum ut bis idem dicatur (*educenda dictio ex domestica exercitatione in agmen*, et *commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda*,) sed etiam quod praeter morem cumulantur ista, *in agmen*, *in pulverem*, *in*

clamorem, *in castra atque in aciem*, quae sint eius, qui (ut loquitur Crassus § 149) verborum frequentia delectatur, non eius sunt, qui, quid deceat, et quatenus, perspicit. In quibus, ut reliqua Tulliana sunt, neque *agmen* ullo modo probari potest, ne Ernesti quidem interpretatione adiutum; (quippe non in agmine pugnatur: *turbam* dixisset Cicero:) neque *castra* apte dici in hac figura contendo, quorum ratio plane diversa est ab *aciei*, siquidem haec praelium indicat, illa quietem. Accedit locutio inscita, *subeundus usus omnium*, frustra a Madvigio correcta in *visus hominum:* quidquid enim legatur, (quamquam verisimile est huius loci auctorem voluisse, ut quae quis hucusque ratione tantum et doctrina et exercitatione consecutus esset, eadem nunc ad *usum* referrentur,) perquam inepte iis subiicitur, *et periclitandae vires ingenii*; proprie magis, *commentatio in veritatis lucem proferenda est*. Ut verbo dicam, pannus mihi esse videtur male consutus ab eo, qui nonnullos Ciceronis locos teneret, et per errorem in ipsius scriptoris orationem receptus. Nihilominus docilis ero ei, qui primum ordinem defendat, tum singula commode dicta esse demonstret.

Ibid. 158. Sequitur illa commendatio legendorum poetarum et scriptorum, qui *exercitationis*

causa laudandi, *interpretandi*, *corrigendi*, *vituperandi*, *refellendi* sint; *disputandumque de omni re in contrarias partes*, *et quidquid erit in quaque re*, *quod probabile videri possit*, *eliciendum atque dicendum.* Postrema duo vocabula iam inde a Lambino fuerunt qui eiicienda censerent. Sed potius est curare, quam amputare vitiosa. Legendum, *atque edisserendum.* Demtis his non implebit aures clausula iis, qui Tullianam concinnitatem noverunt.

V.

Continuatio (Lib. I, 35, 160, *usque ad finem.*)

Cap. 35, 162. Dixerat modo Cotta se non plane nosse quid Crassus possideret, tamquam si in locupletem domum venisset, sed in qua omnia recondita essent. *Quin tu igitur facis idem, inquit Scaevola, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum villamve venisses?* Ne si ipse quidem *villam* memoravisset Cotta, putide iteravisset hoc Scaevola: quorsum autem ea nunc inculcatur? Neque aptum est, quod Manutius dedit, *illam*, post *aliquam:* minus etiam, quod habet Leid., *ornamentorum ullam venisses.* Omisso eo nil desiderabitur: sed videndum an corrigi possit. Paulo post aptius legetur, *num dubitares —?* pro *non dub.*

Cap. 36, 166. *Potes igitur — oratores putare eos, quos multas horas exspectavit, quum in campum properaret, et ridens et stomachans Scaevola?* Summo iure servatur *exspectavit*, bene a Matthiaeo expositum: ipsaque haec interpretatio confirmatur alio loco, Cap. 39, 180: *clarissima M' Curii causa — quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est?* i. e. quam patienter in ea audienda detineri se passi sunt. — Sed ab Henrichsenio, qui ceteroquin accuratissime res Romanas persequitur, aliorumque errores corrigit in temporibus personisque definiendis, dissentio, quum causam illam actam esse demonstrat a. u. 627 ant 628, ideo, qnod Octavius Consul fuerit a. u. 626, Hypsaeus a. u. 629, neque hic, ut Octavius, *consularis* dicatur. Non facile mihi hoc eripietur, sic de illo iudicio narrare Crassum, ut ipso praesente accidisse videatur: atqui a. u. 614 natus, non certe potuit puer tredecim annorum in foro versari. Loqui autem Crassnm de eo quod sua memoria acciderat, et ipsum genns narrandi declarat, et reliqua exempla, quornm uni alterique *nuper* factum esse addit: tnm, ubi de veteri memoria loquitur, diserte significat, ut § 177, 180, 183. Videamus an personae huic suspicioni conveniant. *Scaevola*, inquit Henrichsenius, est P. Mucius

Pontifex M. Pontificis (i. e. eius qui cum Crasso plerisque honoribus functus est) pater. Sed per se nihil impedit, quo minus ipse Crassi collega intelligatur. Hypsaei nomini quum nulla dignitatis mentio addatur, prius dicendum est de M. Crasso *praetore*. Hunc coniicit tantum, non demonstrat Henrichsenius, praetorem fuisse a. u. 627 aut 628: contra Pighius Annal. Tom. III. p. 141, item coniectura ex hoc loco ducta, ad a. u. 647 refert. Cn. Octavium, qui *homo consularis* appellatur, video intelligendum esse eum, qui a. u. 626 Consul fuit, sed multis annis post consulare illud nomen servans nihil pertinet ad iudicii istius annum definiendum. Restat Hypsaeus, quem vir praestantissimus dicit fuisse M. Plautium Hypsaeum Cos. a. u. 629: eaque definitione reliqua omnia niti videntur: nam, inquit, Hypsaeus non appellatur consularis, ut Octavius; igitur necesse est ante illius consulatum iudicium illud fuisse. Sed reticuit, quoniam *consularis homo* dicitur Octavius, ut in tanta dignitate admirabilior esset ignorantia iuris civilis, in Hypsaeo addi potuisse *praetorium* fuisse, aut consulatum tunc petivisse, eadem de causa: et neglexit praeterea alium esse posse Hypsaeum, nempe, ut coniecit Pighius ibid. p. 148, filium eius qui consul fuerat. Tantum hinc exsistit,

nullam esse temeritatem in Pighii coniectura (quod Orellio videtur in Onomastico p. 346, b.) sed confirmari potius eamdem mea suspicione, loqui Crassum de iis, quibus ipse praesens interfuerat.

Cap. 37, 170. *Equidem propinquum nostrum, P. Crassum illum Divitem — laudandum puto.* Nemo admonitus, puto, dubitabit, quin *illum Divitem* interpolata sint. Nusquam a Cicerone huic P. Crasso hoc cognomen addi solet: minimeque omnium hoc loco aptum erat, quum *propinquum suum* iam appellasset Crassus, nec cognomini soleat praemitti pronomen *ille.* Sic infra Cap. 54, init., *veterem illum Socratem*: conf. II, 70, 284. Ne ipsum quidem P. Crassum, qui primus Divitis cognomen tulit, sic appellat in Bruto 19, 77, aut Orat. III, 33, 134.

Ibid. Crassus igitur ille P. Scaevolae fratri *solitus est persaepe dicere, neque illum in iure civili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumsisset, — neque se ante causas amicorum tractare atque agere coepisse, quam ius civile didicisset.* Vocabula *illi arti* Ernesto valde glossam olent: Henrichsenius sine ulla suspicionis nota servavit: recte, sed defendendum hoc erat. Dicitur sane *satisfacere in iure civili*, sed nihil amplius significabit, nisi, tueri munus iurecon-

sulti, sive respondendo, sive scribendo. Non tamen hoc cogitabat ille Crassus, sed facultatem explicandae illius scientiae in iudiciis et in causis. Et hoc est *satisfacere illi arti*, i. e. foris eam, non domi tantum, in amicorum periculis defendendis, tueri; tantum in iudiciis efficere, ut artis illius praestantia ad multorum salutem et utilitatem pertineat, utque ipsius iuris civilis dignitas commendetur ac defendatur. *In iure civili*, i. e. quum ius civile profiteretur, Ictus esset.

Cap. 38, 173. *Testamentorum ruptorum aut ratorum — iura.* Extremum vocab. ipsum per se arguit illa, *ruptorum aut ratorum*, insititia esse. Testamentorum iura sunt, quibus reguntur, quibusque aut rupta aut rata iudicari possunt; sed ruptorum nulla iura sunt.

Ibid. 175. *Res delata est ad centumviros, quum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam [testamento exheres filius. Nempe] in ea causa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatim.* Quae uncinis inclusa verba sunt, eorum tria priora satis constanter viri docti imperite inserta esse viderunt: de quarto tollendo, si quidem in nonnullis Codd. abest, Mullerus monuit. Sed ne sic

quidem sanus locus est. Exemplum ponitur magnae causae e iure civili dirimendae. Sed non erat hoc gravissimum, sicut in hac interpunctione intelligendum est, *rem ad centumviros delatam esse.* Hoc dicit, (quo modo legendum esse existimo, sublata interpolatione trium praeterea vocabulorum) *re delata ad centumviros, quum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam, quaesitum est è iure civili, possetne* cet. Inepte in vulgata distinctione iis concluditur sententia (*quum miles — paternam,*) quae protasin explent, et apodosin exspectant.

Cap. 39, 177. *Quid? quod item in centumvirali iudicio certatum esse accepimus, qui Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset, intestatoque esset mortuus: nonne in ea causa ius applicationis — patefactum in iudicio atque illustratum est a patrono?* Post verb. *esset mortuus,* lacunam esse pronuntiant viri docti, (quibus adstipulari Madvigius quoque videtur Emendatt. p. 178) quod apodosis desit. Sine causa, opinor. Nam apodosis statim, sed alia forma, subiicitur. Explere sane potuerat, *quaesitumque de hereditate eius, ad quem rediret:* sed nihil sic in forma orationis mutabitur, et verissime sensit Mullerus huiusmodi quid cogitari posse.

Sed fraudi fuit Interpretibus id quod initio ponitur, *quod item in centumv. — accepimus*, quasi istaec sententiam ordirentur iusta apodosi explendam et finiendam, ita ut plane addendum esset, qua de re fuisset *certatum.* Concedendum hoc esset, si *Quid? quod* — eadem ratione h. l. diceretur, qua multis aliis locis, ut *quod* coniunctio esset: sed *quod* relativum est, cui respondet, velut in apodosi, *in ea causa:* sicuti modo ante, *Quid? qua de re inter Marcellos — iudicarunt, quum — dicerent: nonne in ea causa* cet.

Cap. 40, 181. *Etenim sic C. Mancinum —.* In his dudum correxeram et distinxeram, *Etenim si C. Mancinum — postliminium: quam possumus reperire* cet., ut haec postrema contineant apodosin. Nunc video apud Henrichsenium Codd. hoc et Vett. Editt. firmari auctoritate, probarique Madvigio.

Cap. 41, 183. *Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filius natus esset: mediocrisne res in controversiam adducta est?* Henrichsenio videtur vitium esse in constructione, *ut paterfamilias — natus esset.*

Et sane praedicatum requiritur: sed prodibit, si, deleto *que*, legetur *mortuus esset intestato.* Perperam enim ista e coni. *quum* suspensa erant, quoniam hoc ipsum erat, quod *usu venerat*, ex eoque *controversia* orta, quod, relicto ex utraque uxore filio, *intestato mortuus erat.*

Cap. 41, 186. Postquam de impudentia dixerat, castigandam suscipit hominum inertiam, quod eius artis ignari sint plerique, cuius cognitio facillima sit. *Quod quidem* (sc. cognitionem iuris facilem esse) *certis de causis a plerisque aliter existimatur; primum quia veteres illi — pervulgari artem suam noluerunt; deinde — nulli fuerunt, qui illa — componerent. Nihil est enim quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet quorum artem instituere vult; habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit.* Mire haec postrema subiiciuntur mentioni duarum illarum causarum, quamobrem plerisque difficilis videretur iuris cognitio. Nam, quum ei demonstrandum esset facili negotio illius artis cognitionem acquiri posse, nunc requirere videtur, ut quis prius aliam artem habeat, cuius ope illa in artem redigere possit: quo profecto difficilius totum negotium redditur. Manifestum est hoc dicere velle Ciceronem, cognitionem illam, quae nunc iam

facilis sit, (vid. hoc Cap. fin.) multo faciliorem visum iri si in artem redacta sit. Hoc autem memorato digreditur, et occurrit eorum dubitationi, si qui forte essent, qui iuris civilis nullam artem condi posse censerent. Sed ipsam hanc digressionem (*nihil est enim — nisi illi prius*) sic instituit, quasi ostendere vellet eos, qui ante fuissent, huic muneri satisfacere non potuisse propterea, quod *illa scientia* caruissent, de qua mox loquitur: est autem hoc prorsus ab eius consilio alienum. Profitetur iuris disciplinam in artem redigi posse: sed dein addit qua scientia opus sit, ut hoc rite fiat. Quapropter sic legendum existimo: *Nihil est enim, quod ad artem redigi non possit. Sed oportet, qui illa tenet* cet.

Cap. 42, 187. *Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt; ut in musicis numeri et voces et modi* cet. — *ignota quondam omnibus et diffusa late videbantur.* Ultima verba corrupta visa sunt: certe *ignota* Schutzianae coniecturae, *infinita*, cedere oportere iudicat Madvigius. Credo interpretando et leniori correctione adiuvandum esse locum, ut *ignorata* legatur, et sic dicantur illa, quod singula non per se agnoscerentur, ut in artis distributione, ab hominibus. Tum *diffusa late* intelliguntur ea, quae ne cogitando quidem

segregari et seorsum spectari posse creduntur, sed alia aliis natura coniuncta. Hinc legendum erit, *ignorata quondam hominibus, aut diffusa late videbantur.* Hoc enim dicit: si vel agnoscerent ista, tamen visa esse iis secerni a se invicem non posse. Statim sequitur: *Adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret —.* Illud *ex alio genere* nihil aliud est nisi varietas pro *ars quaedam alia* i. e. dialectica: sicut infra Cap. 43, 193, *cuiusdam ex alio genere prudentiae.* Hinc corrigendum erit, *quam sibi totam.*

Cap. 45, 198. *Itaque ut apud Graecos infimi homines — ministros se praebent in iudiciis oratoribus, —: sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est:*

Egregie cordatus homo, catus Aeliu' Sextus, multique praeterea, qui, quum ingenio sibi dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent. Quod libri habebant, *auctore*, insertum ante *dignitatem*, recte Editores eiecerunt: nec videtur interpolatio fuisse, sed scribae lapsus, *auctoritatem* scribere incipientis, pro *dignita-*

tem, sed relicto post correctum vocabulum erroris initio. Constructionem laborantem corrigendo et transponendo adiuvare voluit Ernestus; praeter necessitatem. Nempe suspensa nec absoluta oratio est, in *clarissimus quisque — multique praeterea*, sc. iuris civilis scientia floruerunt, quae omissa excusationem habent in iis, quae interponuntur de Aelio Sexto, qui *egregie cordatus* appellatus est *propter hanc iuris civilis scientiam*. Apparet ita Graecis Romanos opponi, ut apud illos in minore honore esset illa scientia, quod eam infimi homines tenerent, et oratoribus, clarioribus scilicet, subministrarent: contra apud Romanos tam honorata erat, ut amplissimus quisque eius scientiae laude in primis floreret. Sed eius sententiae constructio consistit in verbis, *multique praeterea*, quae media distinctione a sequentibus separanda sunt, ut nova constructione haec addantur, *qui quum ingenio* —. Atque his postremis hoc ostenditur, iuris civilis scientiam plus attulisse dignitatis, quam ipsam eloquentiam; siquidem *ingenium* de eloquentia proprie, et *auctoritas* de iureconsultis dicitur. Atque sic, credo, probatur, *dignitatem* servandum esse, cui fuerunt qui *auctoritatem* substituere vellent.

Ibid. 199. *Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad*

causarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, quum me vires — deficere coepissent, ista ab solitudine domum meam vindicarem. Madvigii animadversionem, quasi minus accurate scripsisset Cicero *ad ornamentum*, (vid. Epist. Cr. ad Orell. p. 70 sq.) refutavi Bibl. Cr. N. V. 1. p. 22. Quod autem *ita*, pro *ista* coniicit, mihi quoque idem in mentem venerat, sed idem nunc recuso, interpretorque *ista*, nempe, senectutis quae propria esse solet solitudine.

Cap. 46, 202. *Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse deus putatur, ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur.* Leve hoc est, ut corrigatur *clamatorem:* nam *proclamator* longe diverso sensu dicitur Verr. V, 42: *clamator* contra, ut hic, ita infra III, 34, 138, et Brut. 49, 182. Sed gravius multo est reliqua considerare, in primis verba *tamen esse deus putatur*, quae nemo fere fuit quin corrupta iudicaret. Inutile est virorum doctorum coniecturas explorare, si quidem sanus est locus, ut

mihi quidem videtur. Dicuntur haec de oratore; et initio illo, secundum ipsius Madvigii praeclaram observationem Ep. Cr. p. 106 sq., sic resoluto, *qua, quum eius ipsa natura magnam h. f. d., tamen esse deus putatur*, ita ut in postremis subiectum *homo* cogitetur, nemo quidquam desiderabit. Infra III, 14, 53, de oratore perfecto, *In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant?*

Eodem loco, ubi reliqua, quae splendida sunt in oratore, praedicantur, haec leguntur: — *qui scelus fraudemque nocentis dicendo subiicere odio civium supplicioque constringere, idemque ingenii praesidio innocentiam iudiciorum poena liberare, idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare* cet. In postremis *labentem* recentissimis Editoribus placuisse video prae Lambiniano *labantem.* Sed *labi* dici constat de ipso errore et peccato, quae non intelligi h. l. apparet e sequentibus, *aut ab errore deducere.* Melius igitur convenit *labare*, i. e. non firmum esse, sed inclinare coepisse in deteriora; quod tum aptissime componitur cum verbo *languere*, tum *labantem excitare* proprie magis, quam *labentem* dicitur.

Ibid. 203. *Hanc vim si quis existimat — a me posse exponi tam brevi, vehementer errat, neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit.* Corrigendum necessario est, *rei — magnitudinem.* Supra Cap. 5, 16: *quid — aliud, — nisi rei quamdam incredibilem magnitudinem ac difficultatem:* pluraque excitare cuique licet exempla. Caput autem est, non de pluribus rebus, quarum scientia instructum esse oporteat oratorem, loqui Crassum, sed de una dicendi virtute, quam initio *hanc vim* appellat.

Cap. 48, 207. — *quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam —.* Manifesto referendum ad eum morem, quum eaedem causae a pluribus defendebantur. Sed hunc morem Antonii aetate nondum receptum fuisse, diserte tradit Cicero Brut. 57, 207: *neque hoc, quod nunc fit, ut causae singulae defenderentur a pluribus.* Postea factum esse, tum aliunde novimus, tum e Bruto 92, 318, deque abusu istius moris memorat Asconius Argument. Scaurian. fin. Verumtamen eumdem Antonius morem intelligit infra II, 77, 313: et exemplum adeo est in Rutilii causa, I, 53, 229.

Ibid. 212. — *eum dicerem (iureconsultum) qui legum, et consuetudinis eius, qua privati —*

uterentur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum, peritus esset. Ernestus pro *ad agendum*, substituit *ad scribendum*, fretus loco Pro Muraen. 9. init. Sed eiusdem Capitis § 22, ubi conferuntur inter se imperatoris et iureconsulti munera, in postremis numerantur *respondere, actionem instituere, cavere*: unde satis apparet mutandi nullam idoneam causam esse.

Cap. 51, 219. — *quod ita dixisti, neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere, — nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit.* Iusta in his Schutzii offensio est. Nam ut *rerum natura* aliquoties per abundantiam pro *natura* ponitur, ita *rerum omnium natura* ad physicorum disciplinam pertinet, quam nunc, ne si exaggerare quidem Antonius censendus sit, non memoraverit. Neque sic locutus erat Crassus ipse, cuius verba tamen referre vult Antonius, Cap. 14, 60: *num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam exstinguendos, — sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur.* Accedit, quod mendi suspicionem auget, quod *rerum — naturam, mores hominum*

sine copula dicuntur. Quapropter, deleto *rerum*, legendum esse puto, *nisi qui omnem naturam moresque hominum* —, quae eodem modo coniunguntur supra Cap. 11, 48. Mox Ernestus sine causa offenditur in his: *nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum et scire et dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus:* in quibus substituendum putabat, *de motibus hominum.* Sed ignoravit orationis venustatem, quae in arguta amphibologia versatur. Simile secutus esse videtur Cicero Verr. II, 64, 155: — *ut multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere.*

Cap. 52, 224. — *nec si quando ei dicendum erit de iustitia et fide, mutuetur a Platone, qui, quum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quamdam finxit in libris civitatem.* Nihili est illud *exprimenda verbis:* quo enim ille alio modo expressisset? Exigua prorsus erit mutatio, si legimus *uberius:* cuius vocabuli compendium quum facile vitio explicari potuit, tum exemplo est Voss. liber, qui supra Cap. 4, 13, pro *uberiore*, habet *liberiore.* Sed *uberius* propterea verum est, quoniam eorum amplectitur sententiam Cicero, ut videtur, qui iustitiae, tamquam in maiori theatro, in civitate explicandae

causa totam illam disputationem de re publica a Platone susceptam esse contendunt. Sed non intellexisse videntur Interpretes verba *in libris.* In decem De Re Publica, inquit Henrichsenius. Parum latine dictum esset: addidisset certe, *in illis libris.* Imo iungenda sunt *in libris civitas*, i. e. ea, quae nusquam esset, aut esse posset, sed quae non nisi ingenio scriptoris et literis exstaret. Idem dicit ipse Plato Rep. IX. p. 592, A, suam civitatem appellans τὴν ἐν λόγοις κειμένην. Tum *in libris civitas* prorsus Latinum est, pro, civitas quae propria est librorum, non veritatis: sic supra Cap. 35, 164, *in causis oratio*, est illa eloquentia, quae cernitur in forensibus causis. — Paullo post § 225, in verbis, *quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro et amplissimo principi civitatis*, requiro exemplum eius, ut *princeps* cum adiectivo dicatur, quod si reperiretur, emendandum putarem. Legendum est, *et amplissimo, et principi civitatis.* — Statim post, ubi praeclarum illum e Crassi oratione locum reprehendit Antonius, sic ait: *omitto miserias, in quibus, ut illi aiunt, vir fortis esse non potest; omitto fauces, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus, quod sapienti negant accidere posse; servire vero non modo te, sed universum senatum,*

cuius tum causam agebas, ausus es dicere. Priora duo (*miseriae*, et *fauces*) ita e Crassi verbis memorantur, ut simul subiiciatur refutatio: tertium (*servire*) ita reliquisse videtur, ut in languidam adeo clausulam exeat tota mentio. Legendum est; *servire vero quod non modo te — ausus es dicere, potestne virtus, Crasse, servire istis auctoribus — ?* Ita reprehensio refutatione instructa erit, et ipsa sententiae forma, addita apodosi, elegantiam recuperabit.

Cap. 53, 229. De P. Rutilii iudicio; *non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat.* In his *liberius* explicat Matthiaeus, »oratione non ad »ea, quae proprie ad rem pertinebant, adstricta, »sed ultra propositum evagante." In quo cogitavit sine dubio vir praestantissimus id, quod Graeci appellabant ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, quod ab Areopagiticis iudiciis exclusum erat. Sed quum h. l. eloquentiae commendatio significanda sit, quam nusquam apud Ciceronem in *libertate* dicendi poni memini, cum adverbio *ornatius* coniungatur id, quod sexcenties iungitur, *uberius*: et hoc in loco omnes credo Codices errare eo modo, quo in Cap. 4, 13, Vossianum errare supra p. 101 indicavi.

Cap. 54, 233. De Socrate innocentissimo condemnato; *Qui quidem si absolutus esset (quod mehercule, etiamsi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenii magnitudinem vellem,) quonam modo istos philosophos ferre possemus, qui nunc, quum ille damnatus est, nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscientiam, tamen a se oportere dicunt peti praecepta dicendi?* Huius loci initium interpretatione adiuvandum est, ut intelligamus, »si defensus oratoris »arte et copia absolvi potuisset." Sed non ferendum est id quod sequitur, *quonam modo ist. ph. ferre possemus.* Imo *possumus*: nam intelligit omnes qui tunc quoque huiusmodi sententiam tuebantur.

Cap. 55, 234. *Nam quod ius civile, Crasse, tam vehementer amplexus es, video quid egeris; tum, quum dicebas, videbam.* Nemo, spero, amplius dubitabit, quin verissime suspicatus sit Heusingerus, postrema illa spuria esse: ineptissimum est interpretamentum.

Ibid. 236. *Ita est tibi iureconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius, —; sed quia saepe utitur orator subsidio iuris in causis, idcirco istam iuris scientiam eloquentiae tamquam ancillulam pedisequamque adiunxisti.* Corrigendum est, *utatur*, quippe ex Crassi sententia dictum.

Sic Cap. 58, 247, in eadem Crassi reprehensione, *Quod vero viros bonos iure civili fieri putas, quia legibus et praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis*, —.

Cap. 56, 239. *Quaero igitur, quid adiuverit oratorem in his causis iuris scientia, quum hic iureconsultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est, non iuris scientia, sed eloquentia, sustentatus.* Non sum nescius non quibusvis locis idem valere: sed hîc quidem manifesto glossa indicatur verbis *hoc est*, quae cum reliquis, usque ad *eloquentia*, delenda esse censeo.

Ibid. De rusticano illo, qui P. Crassum consuluerat praesente Galba, neque responsum ad suam rem accommodatum abstulerat: *ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit quaesivitque, qua de re ad Crassum retulisset.* Non puto rusticani istius *nomen* cognitum fuisse Galbae: neque *nomine appellare* dicitur, nisi tum, ubi e pluribus unus est quem quis prae ceteris alloquatur, sicut Acad. Pr. II, 5, 13: hîc autem unus erat ille rusticanus, qui a Crasso discedebat. Corrigendum puto *comiter appellabat*, quod ei convenit, qui tristem solari cupit. Philipp. XIII, 2, 4, *maximeque, quum in hunc ordinem venerint, salutabunt benigne, comiter ap-*

pellabunt unumquemque nostrum: quem locum ideo indico, quod in Indicibus Ernesto-Schutzianis, ut sunt illi pernegligenter confecti, refertur ad Epp. ad Att. XIII, 4.

Ibid. 240. Tota illa narratio suspensa erat primum a verbis superiori §, *equidem hoc saepe audivi:* sed mox post accusativum cum infinitivo subiicitur directa oratio, *ut eum tristem Galba vidit, appellavit*, cet.: subiiciuntur rursus infinitivi historici, *tum ille fidenter confirmare*, et *Galba autem alludens varie et copiose multas similitudines afferre multaque pro aequitate contra ius dicere; atque illum, quum disserendo par esse non posset, — ad auctores confugisse, — ac tamen concessisse, Galbae disputationem sibi probabilem et prope veram videri.* Apparet, postrema, inde ab *atque illum*, non esse in eadem cum praecedenti constructione continuata: neque, si scripsisset, *atque ille — confugere et concedere*, huiusmodi poterat esse totius narrationis conclusio: igitur reditur ad illud, quod initio dicebatur, *audivi.* Sed, quomodocumque coni. *atque* interpreteris, arctissime semper sequentia cum praecedentibus nectit: quod quum hoc loco neque per syntaxeos rationem, neque propter ipsam sententiam probari possit, mutandum est, credo, *denique*, i. e., verbo ut absolvam.

Cap. 57, 241. *Licet igitur impune oratori omnem hanc partem iuris in controversiis ignorare.* Agnoscunt viri docti, *in controversiis* falsum esse, et repugnare sententiae. Hinc natum, inde a Lambino, *incontroversi*, quod tamen nec Latinum est, nec, ut Ernestus putabat, a glossatore: nam solet Cicero eiusmodi epexegesin addere. In promptu est corrrigere, *non controversi.*

Ibid. 242. Quum dixisset Antonius impune ius ignorari ab oratore, et, si quid ambigeretur, ad auctorem confugere posse eum, sic pergit: *Nisi vero (bona venia huius optimi viri dixerim [Scaevolae]) tu libellis aut praeceptis soceri tui causam M' Curii defendisti. Nonne arripuisti patrocinium aequitatis et defensionem testamentorum ac voluntatis mortuorum.* Iterum distinctione hic locus laborat, indeque leve vitium contraxit. Legendum est: *nisi vero — defendisti, non arripuisti* cet., quae sic *ἀσυνδέτως* a Cicerone dici solere constat, sicut post *nisi forte*, Philipp. I, 8, 19, animadversum a Madvigio Emendatt. p. 42. Mox § 245, in simili ironia ponitur, *et, credo, in illa militis causa, — ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses:* in quibus edendum est, *et ad orat. fac.*, ut habet Cod. Leid.

Ibid. 245. *Tu vero — si causam ageres mi-*

litis, patrem eius, ut soles, dicendo a mortuis excitasses, statuisses ante oculos, complexus esset filium flensque eum centumviris commendasset; lapides mehercule omnes flere ac lamentari coëgisset. Bene quod viri docti, neglecta Ernesti dubitatione, servarunt *complexus esset*, nempe pater: i. e. fecisses hunc complecti filium suum; quemadmodum saepe illa forma orationis explicanda est. Sed miror Henrichsenium deseruisse verissimam correctionem *coëgisses*, pro *coëgisset*. Intelligitur enim sic dicere Antonius, Crassum omni illo artificio adhibito coacturum cet.

Cap. 58, 246. *Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui istam artem, primum facillimam, non ediscant: quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant, deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse —; deinde, quod sit plena delectationis; in quo tibi remittunt omnes istam voluptatem, et ea se carere patiuntur* cet. Nescio cuius generis anacoluthon in his sibi deprehendere videantur viri docti. Poterat sane haec Cicero eodem modo enunciare, si voluisset, quo sequentia, *Tum autem, quod amore patriae censes —: non vides —?* Sed refutationem utriusque Crassi

obiectionis per relativum inducit; ad primam, his verbis, *quae quam sit facilis*, ad alteram his verbis, *in quo tibi remittunt ist. vol.;* cuius formae usus nunc satis cognitus est. (*In quo* necessario recipitur, i. e. hoc quod attinet: neque enim ad *delectationem* referri potest, quae eadem est *voluptas.*) Sic rursus alio modo refutationem infert Cap. 60, 254, *nam quod dicis —: sed nos — quaerimus.*

Ibid. 249. *Cui nostrum non licet fundos nostros obire* cet. Obtemperandum iis erat, qui *non* expungendum censent, quod facere non verentur qui norunt quam saepe negatio per errorem intrusa sit: (neque negligenda fuerat Ernesti admonitio, in § 250 tollendam esse negationem in his, *quum in rem praesentem non venimus:*) Schutzii *nunc*, ut vere dicam, h. l. absurdum est. — Mox, *Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura* cet.; in his perquam otiosa est suspicio Orellii, ut *sicubi* legatur, pro *si cui.* Imo *si qui:* cogitandum est plures in cuiusque dominio fundos fuisse. — Sequitur, *cur ergo non iidem in iure civili —:* in quibus nulla varietas annotatur, sed Cod. Leid. habet *idem*, unde corrigendum *item.* Primum sollemne est hoc, *non item:* tum non quaeritur quid illi possint, sed an in iure civili quoque possint.

Cap. 59, 251. *Quis neget opus esse oratori — Roscii gestum et venustatem? tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium quam vox? Tamen me auctore nemo dicendi studiosus Graecorum more et tragoedorum voci serviet —.* Primum interpolatum est *discendo* post *gestu:* perpetuo dicitur *elaborare in aliqua re.* Tum, quum modo iam appellavisset diserte *studiosos dicendi adolescentes*, inepte iterum interpolatur *dicendi studiosus.* In postremis, *Graecos* interpretari solent, oratores Graecos, *tragoedos*, tum Graecos, tum Romanos. De postremo, concedo ut universe possit accipi: de altero, nullo modo defendi posse puto. Sed nusquam aliorum, praeterquam *tragoedorum vocem* laudat: conf. Cap. 28, 128: tum credibile non est tantum operae in ea Romanos posuisse, quam Graecos. Propterea ipse quoque suspicor delendum esse *et.* Et, quod dixi credibile non esse ut oratores intelligantur, haud parum confirmatur Demosthenis in Aeschinis vocem, ut tragoedi, conviciis, Fals. Legat. p. 449. 15. conf. Pro Corona p. 269. 22. et 310. 9. Illa certe exercitatio non nisi a tragoedis usurpata est. — Paullo post, in verbis, *paeanem aut munionem citarimus*, quod coniecit vir doctus *nomum*,

confirmari puto ex Platone Legg. III. p. 700. B., ubi de musicis formis et figuris agens, in his appellat *καὶ παίωνες ἕτερον, καὶ ἄλλο Διονύσου γένεσις, οἶμαι, διθύραμβος λεγόμενος· νόμους τε αὐτὸ τοῦτο τοὔνομα ἐκάλουν, ᾠδὴν ὥς τινα ἑτέραν.* Et Graecas istiusmodi appellationes in Codd. corrumpi, exemplo est Apollo Nomius, in Nat. Deor. III, 23.

Ibid. 253. Non erat causa idonea, quare Henrichsenius verba haec, *quum ipsi sint imperitissimi*, a glossatore addita putaret. Inculcandum hoc erat, summos illos oratores iuris civilis ignaros fuisse.

Cap. 60, 235. *Neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio probatur.* Non puto *gravissimum sermonem* recte dici. Omnino *sermo* ipse per se opponitur *orationi*, quae contentionis propria est: conf. Offic. I, 37. init. Orat. III, 45, 177: itaque mox de Scipione et Laelio dicitur, eos omnia *sermone paullo intentiore* conficere solitos. Corrigendum videtur *gravissima*, i. e. ea lenitas sermonis quae tamen gravitatem retinebat.

Ibid. 256. *Neque repugnabo, quo minus, id quod modo hortatus es, omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur.*

Difficile erit, credo, h. l. explicare, quid sit *rectum studium:* tum defendere hanc locutionem, *versari in studio*, sine adiecto genitivo rei, cui studeatur. Requiritur substantivum, quo doctrina significetur, sicuti ipsa *humanitas* intelligitur: conf. supra Cap. 9, 35. 16, 71. Legendum coniicio, *in omni eruditione atque humanitate*, quo modo *eruditio* intelligitur II, 1, 1.

Cap. 61, 259. *A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium quaeritur, in iis offenditur simulatque imminuitur aliquid de voluptate: in eloquentia autem multa sunt quae teneant, quae si omnia summa non sunt, et pleraque tamen magna sunt, necesse est ea ipsa, quae sunt, mirabilia videri.* Offendor his verbis, *in eloquentia:* nam in ipsa eloquentia non omnia summa esse non possunt. Et non de arte, sed de artifice agitur, ut modo de histrionibus. Quare legendum opinor *in eloquente:* et Cod. Leid. *eloquenti* habet, eraso, ut videtur, *a.*

Ibid. 260. sq. Demosthenes imitandus commendatur, qui insigni studio et labore impedimenta naturae superavisset; *quumque ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando ut nemo planius esse locutus putaretur: deinde quum spiritus eius esset angustior,*

tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum — binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur: qui etiam, ut memoriae proditum est, coniectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronunciare consuescebat, neque is consistens in loco, sed inambulans atque adscensu ingrediens arduo. Quare suspicer extrema omnia, inde a verbis *qui etiam*, insititia esse, explicabo. Primum putidam iterationem continent eorum quae iam dicta erant: nam quae apud Plutarchum Demosth. Cap. 7, aliosque de calculis in os sumtis narrantur, pertinebant ad illam τραυλότητα expugnandam, de qua dixi Bibl. Cr. N. II. p. 82: quaeque dein spiritus confirmandi causa suscepisse dicitur Demosthenes, eadem ante iam dicta erant, neque quidquam eo conferebant in os sumti calculi: itaque tria diversissima confundit, linguae, vocis, et spiritus exercitationem. Praeterea *uno spiritu pronunciare* non potuit scribere Cicero: nam ut vox cuiusque, ita spiritus semper unus est, sed vel latior, vel angustior esse potest. Non ignoro idem fere dici infra III, 47, 182, *longissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest:* sed ne illum quidem locum a Cicerone profectum esse, facile deprehendent, qui disputationis seriem et sententiam attendent.

Ibid. 262. *Hisce ego cohortationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer assentior.* Sic sine ulla varietate ediderunt. Sed neque hic *assensio* Antonii usu venire potest, in ea re quam omnino ne attigerat quidem Crassus: neque *incitandos iuvenes assentior* bene Latine dicitur: perpetuo cum dativo iungitur, ut aliquoties in hoc ipso libro, et diversum est id, quod exstat Acad. II, 21, 68. Corrigendum est, *censeo*, cui quum semel, ut saepe factum est, *sentio* substitutum esset, hoc peperit illud non ferendum *assentior.* Conf. supra Cap. 10, 44.

Cap. 62, 265. *Sane, inquit, vellem non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio. Libenter audirem Antonium.* Nihil in his moratur viros doctos, ut videtur, nisi Laelii nomen, quem quoniam Mucii socerum intelligi non posse agnoscunt, existimant, duce Orellio, corrigendum esse *L. Aelio.* Non assentior. Quae usquam necessitudo Aelium hunc inter et Scaevolam memoratur? qui aetate adeo dispares erant. Sed non tolerandum erat abrupte sequentia dici, sine ulla coniunctione aut demonstratione, *libenter audirem Antonium.* Consentaneum est ut Scaevola dixerit, *de illis libenter aud. Ant.*, deleto nomine proprio quod nescio

quo errore ortum est. Praeterea minime negligenda est elegantissima Lipsii suspicio, omittenda esse verba *me venturum esse:* nisi quod pari iure *hodie* omittetur. Infra II, 7, 27, *ad fratrem promiserat.* Ad Div. IX, 1, 2: *sive in Tusculano sive in Cumano ad te placebit* —.

VI.

Continuatio (Lib. II. Cap. 1—28, 123.)

Cap. 1, 1. — *erantque multi, qui, quamquam non ita sese rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio discendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent.* Totum locum apposui, ut intelligeretur Coniunctivum post *quamquam* ideo poni, quod haec secundaria sententia includitur in eam quae necessario Coniunctivum habet, *erant multi qui — praedicarent:* nam in recta constructione sic scriberetur: *multi, quamquam arbitrabantur, praedicabant.* Sed quum viri docti, quum alii, tum Zumptius Gramm. § 574

temere hoc fieri tradere videantur, exploremus unum alterumque locum, quorum praesidio utuntur. Ad Div. XIII, 68, 1: *quae quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissime ex tuis literis cognoscam: audiam* futurum Indicat. est. Orat. III, 7, 27: *atque id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Acciusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par pene laus in dissimili scribendi genere tribuatur.* Iterum haec secundaria sententia suspensa est e primaria, cuius constructio coniunctiva est, *quam sint.* Pro Muraen. 9, 20, *loquar:* rectissime corrigitur ab Ernesto, *loquor*, probante Matthiaeo. Tusc. V, 30. fin. *quamquam enim sint in quibusdam malis, tamen hoc nomen beati longe et late patet.* Wolfii neque suspicio, *quamquam* esse pro *quamvis*, neque, quam post excogitavisse videtur, syntactica interpretatio (vid. apud Orell. in singulari Tusculan. editione p. 433) probanda est. Ratio altius repetenda. Constituerat Cicero, praeclarum illud decretum beatae vitae, hanc in virtute positam esse, demonstrare omnium philosophorum sententiis convenire: conf. Cap. 29, 84. Igitur ad Peripateticos progressus, his, inquit, *licet*

facere id, quod fere faciunt, ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent: quam quum ad coelum extulerint (leg. *extulerunt*), *quod facere eloquentes homines copiose solent, reliqua ex collatione facile est conterere atque contemnere: nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicant, negare eos esse beatos, qui illam adepti sunt: quamquam enim* cet. Hoc loco si *sunt* legitur, necessario intelligendi sunt ipsi *ii*, i. e. Peripatetici: sed continuatur constructio postrema accus. cum infinitivo, negare *eos esse beatos;* et hinc modus Coniunct. pendet, quamquam clausula sententiae, *patet*, in directa oratione ipsius scriptoris est. Orat. 55, 183: *sed in versibus res est apertior:* (i. e. numerum inesse orationi) *quamquam etiam, a modis quibusdam cantu remoto, soluta esse videatur oratio.* Dubium non est quin Cicero non videri solutam talem orationem putet; sed fieri posse ut videatur dicit: atque hinc Coniunctivus. Idemque valet in Topic. 8, 34: non in Fin. III, 15, 48, ut Goerenzius putabat ad illum locum, unde post eum summo iure Coniunctivus sublatus est: pariterque Caton. Mai. 13, 44. restitutus Indicativus auctoritate etiam librorum, quum concedentis sit oratio. Denique nullum exemplum oriturum esse puto, quo demonstretur ipsum per se *quamquam*

componi cum Coniunctivo, siquidem librariorum aberrationes curandae non sunt, ut supra I, 6, 21: nec dubito quin ad Div. IX, 8, 2, aliquis Codex praebiturus sit *dabant*, quod procul dubio requiritur.

Ibid. 2. *Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus — solebamus, quod de Crasso pater et Aculeo —, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit.* Ernestus requirebat vel *narrabat*, vel *narraverat*. Et sane *narrabant* hinc intelligendum est in prioribus, *pater et Aculeo:* itaque postremum quoque sic mutandum esset, (*narrabat*,) nisi mutare potuit Cicero orationis formam. Sed non potuit L. Cicero de *doctrina Antonii* narrare, de *studio doctrinae* potuit: et sic legendum est, quo ducit Cod. Leid., qui sine copula habet *de eius studio doctrina saepe narravit.* Nimirum *doctrina* non intelligitur, nisi aut eorum qui tradunt, aut eorum quae traduntur docendo. Ostendit nunc Cicero Antonium non fuisse expertem doctrinae, i. e. audivisse eos qui docerent: et hoc est *studium doctrinae.* Ex uno Leid. hanc enotavi varietatem, *quem cum Crassus.* Scilicet legendum est, *quemque Crassus*, nec h l. ferendum erat duplex relativum sine copula. — Statim sequitur: *quumque*

nos cum consobrinis nostris — et ea disceremus, quae Crasso placerent, et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, cet. Si monuero Crassum tunc nullis doctoribus usum esse, quod tum aliunde intelligi, tum ex II, 90, 365. III, 22, 85, probabo, ut spero, hanc correctionem intelligentibus: — *et ea disceremus, quae Crasso placeret, et ab iis doctoribus, quibus illi videretur* —. Tum in extremis, haec torserunt interpretes: *etiam illud saepe intelleximus, quum essemus eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus, illum et Graece sic loqui* cet. Sed Crassum optime Graece loqui, et ipsum in omni doctrina versatum esse, non *sentire* poterant illi, sed *intelligere*, i. e. iudicare, quod unum nunc agitur: conf. Verr. II, 35, 87. Totum illud, *quod — poteramus*, a glossatore male Latine scribente profectum est, qui nempe illa explicaret, *quum essemus eiusmodi*, i. e. ut intelligeremus hoc quamquam pueri; praecedit enim *intelleximus*. *Esse eiusmodi*, i. e. eo virtutis aut facultatis progressum esse, sic ponitur Verr. I, 21, 56. IV, 66, 148.

Cap. 3, 10. *Nec vero te — rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiam; — quid enim tua potest oratione aut subtilius aut ornatius esse? sed*

[*quoniam*] *sive iudicio*, — *sive*, *ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse*, *pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti*, *sive*, *ut ipse iocari soles*, *unum putasti satis esse non modo in una familia rhetorem*, *sed paene in tota civitate*: — *non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere*, *quod merito* — *possit illudi*. Optime viderunt novissimi Editores, abiiciendum esse *quoniam*. Ratio haec reddi poterit, quod ab his inde verbis, *quid enim tua* usque ad *tota civitate*, digressio est, quae absolvitur, nec cum extremis coniungenda est ullo modo. Sed ipsa illa extrema minime adversantur primis, uti nunc videri debet, verum iterationem et absolutionem eiusdem sententiae continent, quae sic instauranda erat, *sed tamen non arbitror* cet.: numquam enim in hac orationis forma una coniunctione *tamen* defungitur Cicero.

Cap. 4, 15. Quum Crassus dixisset, malle se quaevis alia causa attulisset Catulum et Caesarem, quam se ut audirent disputantem, sic pergit: *Ego enim*, *ut quemadmodum sentio loquar*, *numquam mihi minus quam hesterno die placui* (*magis adeo id facilitate*, *quam alia ulla culpa mea contigit*,) *qui*, *dum obsequor adolescentibus*, *me senem esse oblitus sum fecique id*, *quod*

ne adolescens quidem feceram, ut iis de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sensit Ernestus illa verba, *magis adeo — contigit*, turbare quodammodo facilem sententiae decursum, itaque parenthesi inclusa tamquam verborum ordine eximere voluit. Verum ipsa sic parenthesis per se ingrata est, talisque digressionis certae sunt leges tenendae. Lambinus alio modo his opitulabatur, legendo *magisque.* Mihi videtur *contigit*, (quum praesertim hoc verbum non nisi in iis dicatur, quae extrinsecus accidunt,) interpolatum esse ab eo, qui ablativos expedire non posset. Praeterea recte Cod. Leid. *quam aliqua culpa mea:* nec nisi in margine prostat *ulla*, quod omittendum est.

Ibid. 16. *Tum Caesar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus in illa longiore te ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus.* Nisi vehementer fallor, stultum est quod Caesari tribuitur. Tam sum cupidus, inquit, tuae disputationis audiendae, ut vel si non eam audiam contentus sim! Hoc potius dixisse eum credo: *vix hoc sim quot. t. s. c.* — Mox sequitur, *Itaque experiar equidem illud, ut* cet.; in quibus *illud* iterum interpolatum est, affertque Cod. Leid. in margine.

Cap. 5, 20. — *porticus haec ipsa, ubi inambulamus, et palaestra, et tot locis sessiones gymnasiorum et Graecarum disputationum memoriam quodammodo commovent.* Praestare puto eam lectionem quae apud Pearc. memoratur, *gymnasiorum Graecorum et disputationum —:* quo ducit Voss., et Cod Leid. sic habens: *gymnasiorum et Graecorum disput.*

Cap. 6, 23. Leve est, nec tamen omittendum, Voss. et Cod. Leid. habere *negotiis forensibus atque urbano opere*, quamvis omnes reliqui, ut videtur, *forensibus negotiis.* Amat in talibus chiasmum Cicero. Initio huius §, *sic enim se res habet, ut* —, hanc partic. *ut* non delendam esse puto, sed suspensam: eius loci, quem indicat Henrichsenius III, 52, 200, diversa structura est, propter partic. *ita — ut.*

Cap. 7, 27. *Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro..... Quidnam? inquit Catulus. Ut hic sitis hodie. Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Iulius, pro utroque respondeo; sic faciemus, atque ista quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres.* Duo sunt difficilia ad explicandum. Primum, *vel ut verbum nullum faceres*, necessario interpretan-

dum est, »etiamsi obmutesceres:" sed eo evertitur tota conditio, quae haec erat ut, si manerent, disputationem non recusaret Crassus. Alterum est, quod *me teneres* dicit, quum oporteret *me tenes*, aut *tenebis:* nam, quum de conditione sermo sit, *tenere* est, deprehensum *tenere* tamquam invitum: quod tamen minus opportunum est dici a Caesare, se a Crasso teneri, quum nihil ab eo praestandum esset, nisi ut eum diem apud Crassum esset. Legendum censeo: *atque ista quidem conditione, vel ut hic* (Catulus) *verbum nullum faceret, a me teneris:* i. e. non tu a me, sed ego a te hoc impetravero, teque captum ego teneo, etiamsi Catulus nihil dicat, pro utroque enim respondeo.

Ibid. 29. *docebo vos, discipuli, id quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam.* Modo dixerat, *totum hoc, sive artificium sive studium dicendi*, recte: sed *omne genus dicendi* tantum valet, ac si dixisset, omnes partes eloquentiae: quod a sententia Antonii abhorret. Credo *dicendi* interpolatum esse. *De omni genere*, est, quid universe de illa re statuendum sit: et sic *genus* absolute ponitur Cap. 8, 32, *de ipso genere sum confessus:* et mox, *in toto genere.* Accedit, quod Voss omittit, et Cod. Leid. in marg. habet.

Ibid. 30. *Ars enim earum rerum est, quae sciuntur; oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur.* Utile nonnumquam est aliis indicare quid displiceat, etiamsi ipse mederi non possis. Quaero igitur quid h. l. *oratoris actio* pertineat, et quo modo corrigendum sit. Potestne *dictio*, aut *facultas?* Sed praestabit fortasse *omnis vis.* Conf. I, 15, 64.

Ibid. *Ut igitur in eiusmodi re quae mendacio nixa sit, quae ad scientiam non saepe perveniat, quae opiniones hominum et saepe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse cur audiatis.* Apparet Antonium in toto hoc exordio abiicere velle eloquentiae fundamentum, quam modo dixerat *opinionibus, non scientia contineri.* Sed quorsum ista, *quae ad scientiam non saepe perveniat?* quae certe concessionem quamdam continent, minuuntque id, quod praecedit, *mendacio nixam esse:* ne dicam, *ad scientiam pervenire* omnium minime huic sententiae formae convenire, siquidem in eo dicitur qui scientiae cupidus est. E libris nihil varietatis enotatum esse video: Voss. habet *quam scientiam saepe perveniat.* Et, corrupto semel verbo, praepositio interpolata esse videtur: verbum autem corrigendum esse puto, ut legatur, *quae scientiam saepe pervertat.*

Cap. 9, 37. *Sed si in hac una est ea ratio atque doctrina; non, si qui aliarum artium bene locuti sunt, eo minus id est huius unius proprium.* Nihil variant libri, praeterquam quod Voss. habet *si in hac una ratio*, omissis *est ea.* Sed turbatum esse in his, intelligitur e serie sententiarum. Si illud bene dicere, inquit, profitetur alia quaedam ars, non haec oratoris; necesse est facultatem illam cum alia aliqua arte esse communem, nec separatim spectari posse, igitur ne esse quidem ullam oratoris artem per se: hoc autem concedi non potest. *Sed si una est ea ratio atque doctrina*, (quomodo, eiectis iis quae interpolata sunt, legendum est,) i. e. si earum rerum ratio atque doctrina una est per se spectanda, ac diversa ab aliis artibus, cet. Non quaeritur in qua arte sit ea ratio, sed an omnino peculiaris ea ratio sit: eodemque modo supra paullo ante dixerat *ab hac una arte*, i. e. earum rerum arte per se quae sit.

Cap. 10, 39. Catulus, admirans Antonium, quod tam copiose eloquentiam laudavisset, hoc eloquentem vel optime facere oportere dicit: *debet enim ad eam laudandam ipsam illam adhibere quam laudat.* Non video, quid *debeat:* legoque potius *decet.*

Ibid. 40. Neque Crassus reticet quantopere

delectetur hac Antonii disputatione prae iis, quae ante explicuerat. *Nam hesterno sermone unius cuiusdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem aut baiulum nobis oratorem descripseras.* Si Comici dictum intelligitur, novum sit oportet, et audax, et salsum. Sed minuit eam qualemcumque virtutem adiectum pronomen *cuiusdam*. *Unius operis hominem* appellaverat sine dubio Caecilius: neque Plautus *virum trium quarumdam literarum* dixit. Ita Antonius I, 61, 260, *in hoc uno opere, ut ita dicam.*

Cap. 11, 45. *Quae natura aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse aequo animo pati; quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non posse.* Ingratus sane concursus Infinitivorum: sed non erat ultra quam necesse erat continuandus. Voss. et Leid. habent, *in iis rebus se pati non posse vinci:* quod mihi indicio esse videtur, interpolatum esse alterum *se vinci.*

Ibid. 47. Non opus esse dixerat Antonius, laudationum propria praecepta tradere, et tamen ex iis, quae Crassus in aliqua oratione posuerat, confecerat quid sequi oporteret eum, qui laudare quempiam vellet. *Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum?* Non intelligo, quo

modo genus laudationum (nam hoc erat tertium illud) *inesse in ratione rerum* dicatur. Tantum videmus, eiusmodi quid Catulum memorare debuisse, quo demonstraret illud genus separandum esse a reliquis duobus, et sua sibi praecepta postulare. Credo legendum esse, *quoniam inest ratio rerum*, i. e. quoniam res, quae in illo genere tractandae sunt, suam quamdam, ut tu ipse aperuisti, rationem et methodum tractandi habent. Sic *rerum ratio* dicitur in historia, Cap. 15, 63.

Cap. 13, 54. Prae antiquissimis annalium scriptoribus laudaverat Antonius Caelium Antipatrum: ad quae Catulus haec: *sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione* cet. Iacobsii coniecturam, *varietate colorum*, merito repudiant viri docti. In vulgatae interpretatione Matthiaeus fere conspirat cum Ernesto. Sed dubitandum non erat quin *locorum* mentio proprio et simplici sensu fiat. Temporum rationem sane secutus erat in bello Punico II Antipater, sed neglexit locorum varietatem, i. e. non seorsum singulis in oris res gestas complexus est, et illo temporum ordine servato omnia ita permiscuit, quasi uno in loco gererentur.

Cap. 13, 56. De Thucydide, quo tempore his-

toriam scripserit; *et hos libros tum scripsisse dicitur, quum a republica remotus, atque id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset.* Bene, ut puto. Voss. omittit *atque*, quae non nisi corruptela est sequentis *id quod.*

Cap. 14, 58. *Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, — post ab Aristotele Callisthenes, — scripsit historiam.* Primum vocabulum in mendo esse puto. Quorsum enim pertinet *denique?* Neque enim ultimus est Xenophon eorum qui memorantur, neque omnino a philosophia qui profecti erant agmen claudunt, siquidem Timaeus adiicitur. Minus etiam convenire *denique* intelligetur, si tenemus tum dici hoc solere, quum id memoratur quod maximum et praecipuum est, et in quo uno totum illud, de quo agitur, in primis versatur. Corrigo *Quin etiam:* nam, ut a rhetoris disciplina profecti erant Ephorus ac Theopompus, quae tamen oratoria praecepta tradebat, ita in Xenophonte hoc admirandum esse monet, quod a Socratis schola profectus tamen ad historiam eleganter scribendam se applicuisset.

Ibid. 61. Initio primum recipiendum, quod Cod. Leid. habet, *Quid est ergo?* Mox sequitur, *ut, quum in sole ambulem, etiamsi*

aliam ab causam ambulem, fieri natura tamen ut colorer, sic, quum istos libros ad Misenum (nam Romae vix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari. Non expedita est verborum constructio. Nam Infinitivum *fieri* molestum est a verbo *sentio* suspendere, tum quod remotius hoc est, tum quod colorari se tactu solis nemo *sentit;* neque fieri potest ut aliud verbum intelligatur. Porro, quorsum Coniunctivus in his, *quum in sole ambulem?* aut in hoc, *quum studiosius legerim?* Voss. habet *legere*, Leid. *legero.* Sed et illic *ambulo*, et hic *lego* restituendum est: tum corrigendum *fit natura tamen.* Mox, in his, *quae ipsi — voluerunt a vulgo intelligi,* delenda praepos. *a* est, auctoritate meorum librorum.

Cap. 15, 65. Prava iterum interpunctio huius loci intelligentiae obest. *Atque in hoc genere illa quoque est infinita silva, quod oratori plerique, ut etiam Crassus ostendit, duo genera ad dicendum dederunt: unum de certa definitaque causa, quales sunt quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes; alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore et sine persona quaestionem. Hoc quid et quantum sit, quum*

dicunt, intelligere mihi non videntur. In hac distinctione, *quod* rationem reddere videtur: sed nulla ratio exspectabatur eius, quod modo dixerat, in eodem genere esse quoque illam infinitam silvam; quippe quibus nihil aliud significatur, nisi, ut de laudationibus, ut de historia, aliisque multis, sic de infinita quaestione nulla praecepta tradidisse rhetores. Sed huius tam breviter dicti subiicitur statim uberior explicatio, cum rhetorum reprehensione coniuncta. Igitur media distinctione posita post *silva*, reliqua sic coniungenda sunt, *quodque oratori plerique — dederunt, unum — laudationes, alterum, — quaestionem; hoc quid et quantum* cet. Sic iusta apodosi tota animadversio suam praestabit gravitatem. Nam eius vitii notandi causa appellaverat *infinitam silvam*, a quo vocabulo abstinuisset, si res non nisi e Crassi disputatione (I, 31) memoranda fuisset.

Cap. 16, 69. In venustissima illa demonstratione, satis esse praecipua in quaque arte praeceptis instruere, reliqua quemque per se efficere posse, si prima illa didicerit, primum universe istud posuerat, tum picturae exemplum attulerat, dein iterum totum genus complectitur his verbis, antequam haec ad eloquentiam transferat: *neque enim est omnino ars ulla, in qua omnia — a doctore tradantur* cet. In his miror a recentis-

tissimis Editoribus receptam esse e duobus Codd. coniunctionem *enim*, quam rectius omittunt mei quoque libri. Ridicula sic ratio redditur per idem, quum non nisi confirmatio quam latissime patens requiratur, ut alia exempla omitti possent.

Cap. 17, 72. Non sine causa in hac longiori ῥήσει haeserunt Interpretes: *Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti neque inexercitato neque communium literarum et politioris humanitatis experti: in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam an de humanis operibus longe maximum: in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria iudicatur: ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus, et repellendus: ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; quum aut docendus is est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratione moderandus: in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est: qui tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus, omnium sententiarum gravitate, omnium ver-*

borum ponderibus est utendum: accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. Exigui momenti sunt lectionis varietates: sed caput est formam sibi repraesentare quam universae sententiae induere voluerit scriptor, id quod maxime incisis indicandum. Totius sententiae hoc consilium est, ut ostendatur, in illo genere eloquentiae, quod summum esse Antonius existimat, reliquorum quoque generum tamquam effundendas esse copias, omninoque nullum de reliquis tot tantarumque virtutum praesidio indigere: quae conclusio tum continetur verbis *omnium sententiarum — est utendum*, tum ornatur iis quae *accedere oportere* dein adiicit. Dubitari igitur non potest, quin apodosis ab illis verbis (*omnium sententiarum*) incipiat: modo constituamus quibus propositis haec apodosis respondeat. Necesse est autem ad illa pertinere hanc apodosin, in quibus operis ipsius et varii et difficillimi descriptio ponitur: sunt autem haec proxime antecedentia, in quibus demonstrat *docendum* esse iudicem, *dedocendum*, cetera, denique *contorquendum.* Nam quae praecedunt, non ipsius operis descriptionem, sed difficilem eius oratoris conditionem explicant, diversam sane ab omnibus reliquis dictionibus, eoque pertinent haec, *in quibus*, et

ubi. In Codd. talia perturbata et distracta sunt negligentia particularum. Equidem non dubito, quin locus sic constituendus ac distinguendus sit. *Omnium ceterarum — experti. In causarum contentionibus — maximum; in quibus — et inimicus tibi est: qui quum aut docendus est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratione moderandus, in quo saepe benevolentia ad odium, odium* [*autem*] *ad benevolentiam deducendum est, quum tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam tum ad laetitiam contorquendus est, omnium sententiarum gravitate, omnibus verborum ponderibus est utendum; tum accedat oportet* cet. Prorsus exiguum est quod mutamus: addidimus *qui* ante *quum aut docendus*, *est* post *contorquendus*, *tum* ante *accedat*, quorum nihil est, quin a proximo vocabulo facillime absorberi potuerit. Praeterea *autem* expungendum censeo post *odium*, minus quippe conveniens huic incitatae orationi. *Plena spiritus* videtur esse interpretamentum: certe in Leid. qui eadem habet, in margine est *ai i. spus*, i. e. *animi id est spiritus.* Nec *spiritus* sic recurrit hoc sensu apud Cic.: plur. *spiritus* est Gr. φρόνημα.

Ibid. 73. *In his operibus si quis illam artem*

comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervae signum efficere possit, non sane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat laborabit. Sic edidit Orellius, secutus Codd. auctoritatem: neque mei libri discedunt. Aliis probatur haec Ernesti correctio, ut legatur, *non sane, quemadmodum, ut in clypeo —.* Sed hinc exsistit id, quod dixisse non puto Antonium, *non laborabit quemadmodum discat minora illa opera facere.* Non enim quaeritur de discendis, sed de faciendis illis operibus: sicuti supra Cap. 16 fin. non quaesivit Polycletus quemadmodum pellem fingeret. Servata in reliquis Codd. lectione, expungendum est *discat:* manebitque eadem illa comparationis negantis forma, quam Wyttenbachius optime explicuit, in his; *non sane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere laborabit*, i. e. non sollicitus erit de minoribus illis. *Laborare* cum Infinitivo, est Verr. III, 55, 127.

Cap. 18, 74. Leviter corrigendum esse puto, *non quo mea quidquam iam intersit*, pro *quidem iam.* Sequitur, *neque enim aetas id mea desiderat, et aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus:* in quibus praestat ordo qui est in meis libris, *genus quoddam.*

Cap. 19, 78. *Dividunt enim totam rem in duas partes, in causae controversiam, et in quaestionis. Causam appellant rem positam in disceptatione reorum et controversia; quaestionem autem rem positam in infinita dubitatione.* Nihil variant libri, nisi quod alii, pro *reorum*, habent *rerum*, ut Leid. Et *rerum* quidem neque accurate legitur, (addendum certe erat, qualium rerum; unde Lambini coniectura:) neque eleganter, *res posita in rerum disceptatione.* Sed neque *reorum* placet: bis infra utitur hoc vocabulo, sed cum interpretatione, neque credibile est in communi sermone sic usurpatum fuisse de iis quorum res ageretur, ut in definitionem asciverit Antonius. Nihil melius excogitare possum, quam *in disceptatione et certa controversia. Disceptatio* enim proprie ad causas et ad iudicia refertur.

Ibid. *De causa praecepta dant; de altera parte dicendi mirum silentium est.* Immerito Ern. tolli volebat *dicendi.* Plane sic loquitur infra Cap. 57, 233. et supra I, 6, 22. Sed *mirum* ineptum est, in re quae nullam admirationem excitare poterat. Legendum est *merum.*

Ibid. 83. *Omninoque in hoc omnis est error, quod existimant artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum, cuiusmodi de ipso iure*

civili hesterno die Crassus componi posse dicebat, ut genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum praetermittatur; deinde singulorum generum partes, in quo et deesse aliquam partem et superare mendosum est; tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet neque redundare. Peccatur in consequentia temporum et modorum. Si enim servatur *exponerentur*, ita ut haec velut a Crasso dicta tradantur, consequens est ut corrigatur *in quo vitium esset*, eodemque modo mox *mendosum esset*, et *deceret*. Sed praestat corrigere *exponantur:* tum recipiendum *praetermittitur*, quod Voss. et Leid. praebent: nullus locus est Coniunctivo.

Cap. 20, 84. Dixerat Antonius non videri sibi eloquentiam in artificii formam redigi posse, quo facilius discatur. *Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos, qui haec docent: omnia iam explicata et perpolita assequentur; sunt enim innumerabiles de his rebus libri* cet. Merito offensum est in verbo *assequentur:* neque enim *assequi*, quod suspicabatur Ernestus, est pro *reperire*. Puto verbum errore productum esse ex *a se*, unaque continuatione legendum, *qui haec docent omnia iam explicata et perpolita a se;* diciturque hoc non sine irrisione illorum rhetorum, qui, in qui-

bus oratores multum laborarent, ea ipsi facili negotio expedirent. Sed stulte subiicitur *sunt enim* —: nam neque ideo docebant isti, quod innumerabiles erant libri: neque si a libris peti poterat, a magistris peti opus erat disciplinam. Legendum *sunt etiam* —.

Ibid. 86. *Clamare contra quam deceat et quam possit, hominis est, ut tu, Catule, de quodam declamatore dixisti, stultitiae suae quam plurimos testes domestico praeconio colligentis.* Nescio quae causa moverit recentissimos Editores, ut nonnullorum Codd., quibus nunc accedit Leid., spernerent lectionem, *clamatore.* Praesto tamen erat Ernesto huius nominis auctoritas in hac ipsa re: et *praeconium domesticum* ipsum minime omnium ad *declamatorem*, sed, quod in utroque negotio plurimum voci tribuitur, ad *clamatorem* pertinet.

Cap. 21, 89. Sulpicium adhortatur Antonius, *ut forum sibi ludum putaret esse ad discendum, magistrum autem, quem vellet, eligeret.* Sic edidit Orellius: alii, *ad dicendum*, quoniam, inquit Ernestus, *discere* intelligitur in *ludo.* Sed, ut *ludus dicendi* dici et intelligi posse concedo, ita *ludus ad dicendum* erit, ludus in quo quis dicat; quod perverse cogitaretur. Sed totum illud interpolationi deberi puto: satis intelligebatur de

eloquentiae studio et disciplina agi. — Paullo post: *vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae:* in quo hoc ἄκυρον notandum, quod *cohortationi* tribuitur *sermo*, qui ipse in cohortatione intelligitur. Corrigendum, *ab hoc sermone cohortationeque mea.*

Cap. 22., 90. *Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur, atque ita, ut, quae maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur.* Verissime existimarunt Schutzius et Matthiaeus postrema illa, inde a verbis *atque ita*, huc interpolata esse ex § 92. Verius etiam dixissent, si ostendissent interpolationem inde ortam esse, quod in Codd., sicut in Voss. et Leid., sequens locus (*non ut multos* — § 92. *diligentissime persequatur*) omissus esset. — In ipsis illis, *non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia ac paene vitiosa, consectantur imitando*, Ernestus suspicabatur et *essent*, pro *sunt*, et *consectarentur* legendum esse, quod a *cognovi* ista penderent: sed in fine annotationis verius vidit. Perperam quoque Heusingerus hunc locum alienis exemplis immiscet ad Offic. I, 30, 15. not. *p.*, quem ipsum locum nondum expeditum alias tractabo. Pertinet hoc ad ea, quae Schol. Hypomn.

I. p. 69 demonstravi, tempora modosque componi ad id quod primarium locum tenet in principio sententiae, neglecto eo quod non nisi modum quemdam orationi addit. Itaque h. l. nihil aliud cogitavit, nisi *ut multi oratores*, cui addit, *quos cognovi*, i. e. ut multos imitatores cognovi. Non neglexit hoc Madvigius in Verr. IV, 35, 77 (vid. Ep. Cr. ad Orell. p. 72:) quo magis miror virum praestantissimum non idem animadvertisse in loco IV, 30, 68, quem modo tractaverat, et ubi *audierint* futurum servandum est, quippe aptum ex *perventuram*.

Ibid. 91. *Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius aut statum aut motum: si vero etiam vitiosi aliquid est, id sumere, et in eo vitiosum esse, non magnum est.* Nemo non vidit postrema (*et in eo vitiosum esse*) corrupta esse: sed alio modo emendanda esse puto, quam hucusque factum video. Legendum puto, *et in ipso vitio non suum esse.* Concedit enim, bona quae sint, ea oratorem imitando ab aliis mutuari oportere, itaque in his alienum esse; fieri item posse concedit, ut quis suis ipsius vitiis laboret: sed ut haec ab aliis sumat, et in iis ipsis non *suus* sit, hoc acerrime perstringit. Neque tamen satisfacit, in illa reprehensione, id quod subiicitur, *non magnum est:* quumque negationem suum

in locum retraxerim, corrigendum erit, eadem hic sublata, *inane est.* Supra I, 5, 17 *inane*, et *irridendum* coniungit, et cum *puerili*, ibid. 6, 20.

Cap. 23, 94. In illa Graecorum oratorum censura primum antiquissimos memoraverat Antonius, e quibus Pericles, Alcibiades, Thucydides fuissent *subtiles*, *acuti*, *breves*, Critias, Theramenes, Lysias retinuissent illum Pericli succum, sed essent *paullo uberiore filo.* Tum memoratur Isocrates, qui novam huic studio rationem posuisset, et de cuius discipulis hoc dicitur, *sunt omnes in eodem veritatis imitandae genere versati.* Haec multis viris doctis, ut Ruhnkenio, vitiosa esse visa sunt. Sed qui *veritatis* servant, non reputant minus hoc convenire Theopompo reliquisque, qui causas numquam attigerunt, et ne ipsi quidem Isocrati, qui totus in epidictico genere fuit. Contra *imitandae* propterea servandum videtur, quod tota haec disputatio demonstrat singulas aetates oratorum ex unius cuiusdam principis imitatione pendere: itaque, ut in superioribus dominabatur *Pericli succus*, i. e. brevitas et subtilitas, sic inde ab Isocrate alia quaedam dicendi virtus fluxit, et *sunt omnes in eodem ubertatis imitandae genere versati*, ut legendum esse coniicio. Quae statim subiiciuntur, evincunt sermonem esse de genere dicendi.

Ibid. 96. *Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum scribendo maxime persequatur. Quod si hic noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset pressior.* In his *crebras exercitationes* intelligo recte dici, *magnas* non item: nam quod infra Cap. 27, 119 dicitur *exercitatio maxima*, et I, 32, 145, *magna exercitatio*, multum diversum est. Fortasse in verbis *atque magnis* latet *et commentationibus*. Ceterum, ut in praecepti forma, praestabit, credo, *persequetur*. Tum Voss. *quod si haec*, quod praeferendum existimo vulgatae: in Leid. *hic* erasum est; nam plane superfluum erat. Statim subiicitur, *in qua (oratione) nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.* Probari non potest, ut *in summa ubertate inesse luxuries* dicatur. In tali forma dicendi servari solet oppositionis quaedam species, ut ea iungi videantur, quae non tantum diversa, sed etiam contraria quodammodo inter se haberi solent, sicut illud in Bruto, 40,148: *in summa comitate—severitatis satis*, cet. Atqui tantum abest ut *luxuries* cuiquam genere diversa esse videatur ab *ubertate*, ut vix modo et gradu distet. Requiro, *in summa gravitate:* huic enim opposita quodammodo haberi poterit *luxuries*.

Ibid. 98. *Atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur* cet. Non contemnendum est, quod Voss. omittit *multos*, quod fortasse rectissime abest propterea, quod imitationem illam universe dominari demonstravit. Paullo infra, *inusitatum nostris quidem*, hoc ordine mei libri habent, ut rectissime revocavit Henrichsenius. — Tum in fine huius §, *in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet*, postremum vocab. in Voss. correctum videtur in *debeat*, quod praecipiendi instituto convenientius est.

Cap. 24, 100. Oratori hoc praeceptum posuerat Antonius, ut causas diligenter penitusque cognosceret. *Hoc in ludo non praecipitur. Faciles enim causae ad pueros deferuntur: lex peregrinum vetat in murum adscendere; adscendit; hostes repulit; accusatur. Nihil est negotii huiusmodi causam cognoscere: recte igitur nihil de causa discenda praecipiunt. Haec est enim in ludo causarum fere formula.* Si haec postrema (*haec est enim* —) a Cicerone sunt, certe alieno loco posita esse dicendum est, et post, aut ante ipsius, quae editur, formulae exemplum collocanda. Sed totum condonandum esse arbitror annotatori.

Cap. 25, 106. *P. Africanus de Ti. Graccho*

interroganti responderat, iure caesum videri. Voss. et Leid. *respondeat.* Corrigendum necessario *respondebat*, ut superiora, *negabat, dicebat:* idque iam Lambinus vidit.

Ibid. 108. *Atque in hoc genere causarum nonnulli praecipiunt ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque uterque definiat.* Non Codd. auctoritate, sed e Ciceronis consuetudine pronunciandum est, *dilucide* legendum esse. Tum *uterque* ut omittatur suadet ratio: si quidem non quid utrumque, sed quid quemque oratorem facere oporteat quaeritur, nec de componenda controversia agitur, sed de defendenda causa. Voss., reliquis omissis, non nisi *breviter definiat* habet: Leid. *breviter uterque def.* Sed *dilucide*, cuius primam syllabam absorpsit praecedens vocabulum, abesse nequit.

Cap. 26, 110. Ubi de causarum generibus agit Antonius, in quibus tum quaeri posse dicit factumne sit, tum quale sit, tum quo nomine appellandum, *in eo genere*, inquit, *in quo, quale sit quid, ambigitur, exsistit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio, in quo nulla potest esse nisi ex ambiguo controversia. Nam illud ipsum, quum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui, quod tum explicatur, quum ea verba, quae desunt, sug-*

gesta sunt, quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse. Non intelligere me fateor, quid sibi haec velint, *scriptum a sententia discrepat:* debebit enim explicari, scriptum a sententia scripti discrepare; quo quid absurdius dici potest? Rectius Planc. 17, 42, *factum a legis sententia discrepare* dicitur. Puto corrigendum esse, *quum scriptum sententia discrepat*, i. e. quum pars scripti discrepat a reliquorum sententia. Et sic Offic. I, 40, 145, *videndum est in vita, ne forte quid discrepet.* Evincit oppositio: nam, *sententiam scripti perspicuam esse*, idem est ac si dixisset, non discrepare scriptum sententia, sed conspirare et indubitatam esse. Vix dubito quin eadem praepositio tollenda sit supra, I, 31, 140. Porro, *quae desunt*, parum recte interposita esse arbitror: non enim quidquam *deesse* potest in scripto, sed demonstrari potest ab oratore verba quaedam cogitando supplenda esse. Interpolatum hoc videtur ab eo, qui reliqua aptissime cohaerere non animadverteret. Alio quodam modo idem dicit paullo infra: *idque aut numquam diiudicari poterit, aut ita diiudicabitur, ut referendis praeteritis verbis id scriptum, quodcumque defendimus*, (leg. *defendemus* ex Voss.) *suppleatur:* in eandemque sententiam, in fine § 111., *quum idcirco aliquid ambigitur, quod*

aut verbum aut verba sint praetermissa. Sed *referre verba praeterita* ambiguum ipsum est, quid sit. In Voss. est *de referendis*, in Leid. idem fuisse videtur, sed *de* erasum est. *Refertur* autem id quod ante fuit, aut quod debetur: quale quid in scripti ambigui interpretatione cogitari nequit. Corrigendum fortasse, *ut efferendis praeteritis verbis*, i. e. expromendis, sicut *efferre verba* dixit infra III, 11, 40. Sed ne ea quidem, quae sequuntur, offensione carent. *Ita fit, ut unum genus in iis causis, quae propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue.* Quid enim id aliud est, quam, ambiguum esse ambiguum? Intelligerem, si scripsisset, *in iis causis, in quibus quale quid sit ambigitur:* nam scriptum ambiguum non nisi forma et species est illius generis, ut initio Capitis dixerat. Scilicet, haec conclusio et quaedam iteratio est eius, quod primum posuerat: eiusque rei non nisi unum exemplum attulerat, verbis *nam illud ipsum* cet., usque ad *suppleatur:* neque extrema eius loci pars, *idque aut nimquam* —, maxima, sed media tantum distinctione a superioribus separanda erat. — Mox § 111, de ambiguis universe loquitur; quorum *quum plura genera sunt, quae mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non*

minus nosse debeant: verissimam esse Ernesti suspicionem, *debebant* legendum esse, contendo, mirorque Henrichsenium tanto viro exprobrasse, Subiunctivi illam rationem latuisse eum: non ignoravit, sed vidit *qui* h. l. non causale esse, nec nisi reprehensionem rhetorum (ii sunt autem *nostri*) his verbis contineri. Nihil huc pertinet Beieri annotatio ad Offic. T. II. p. 132 et p. 283: quod qui admonitus non sentit, nulla exemplorum congerie dedoceri poterit. Universe conf. Partit. Orat. 38 sq.

Ibid. 113. Concludit de triplici illa controversia, *quid fiat*, *quale sit*, et *quomodo nominetur*. Tum addit, *Nam illud quidem*, *quod quidam Graeci adiungunt*, *rectene factum sit*, *totum in eo est*, *quo*, *quale sit*, *quaerimus*. Bene iam omittitur *et*, ante *illud:* sed omittendum quoque erat *quidem*, ut Leid.

Cap. 27, 114. *Quum igitur*, *accepto causae genere et cognito*, *rem tractare coepi* —. Voss. quoque et Leid., *accepto causae genere cognitam rem* —. Sed non *genus causae accipit* orator: hoc ipse potius iudicando consequitur: reus non nisi *causam* defert, eamque alter accipit. Quare corrigendum *accepta causa et genere cognito*. *Accipere causam* sic dicitur quoque infra Cap. 87, 355: ut Cap. 32, 140, *causam discere a quo*.

Ibid. 116. De duplici materie, quae oratori

subiecta est ad probandum, sic dicit: *una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, — sed ad oratorem a causa atque a reis deferuntur.* Bene mihi videtur Ernestus praetulisse alteram lectionem *a re*, firmatam Voss. auctoritate. Primum modo ante dixi, *reos* pro omnibus iis quorum causa ageretur, sive petitores, sive defensores sint, non in communi sermone dici. Tum etiam dicit ipse, eam materiem *in re* positam esse: et *causa et res* saepissime sic coniunguntur, prouti *res et veritas*, *res et natura.*

Ibid. 120. *Quum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum quid, deinde quo modo dicamus; alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiae est paene mediocris —.* Improprie, arbitror, dicitur *arte tinctum:* nam ut supra *tinctus literis*, § 85, et in Bruto 58, 211, Laelia dicitur *patris elegantia tincta*, ita universe poni potest hoc in virtute aut in facultate, qua quis leviter imbutus est. Sed *arte tinctum*, de eo quod totum positum est in arte, dici non potuit. Neque adiuvant Codices: Voss. *totum ab arte tractum:* Leid. *intinctum.* Corrigo, *arte nixum.* Supra Cap. 7, 30, *res, quae mendacio nixa sit*: Fin. I, 18, 61, *virtus nixa honesto:* Divin. I, 14, 24, *divinatio coniectura nititur*, i. e. continetur.

Cap. 28, 121. E duobus quae quaerenda esse dixerat Antonius, alterum, quid dicendum esset, ipse confecturus erat; alterum, quomodo, Crasso relinquebat: de quo sic ait; *Ea vero quemadmodum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit.* Quaero qui mihi explicet, quid sit illud, orationis ornatum *in mores inducere.* Istam facultatem et virtutem dicendi non mores accipiunt, sed aures, quae assuescunt, et probant id quod novum accidit: idque habebimus, si legemus *in nostras aures.* Cf. Infra II, 84, 344. I, 26, 120. Neque magis *effecit* rectum est, sed *perfecit:* hoc enim unum in gradatione post *maxime augere*, i. e. plus quam alii, sequi potest. *Efficere* nihil esse poterat nisi *efficere dicendo*, ut Brut. 49, 185: sed id nunc non quaeritur; agitur de perficienda illa dicendi vi.

Ibid. 122. Illud de Crasso quum dixisset, haec addit Antonius: *Namque ego, Catule, (dicam enim non reverens assentandi suspicionem,) neminem esse oratorem paulo illustriorem arbitror, neque Graecum neque Latinum, quem aetas nostra tulerit, quem non et saepe, et diligenter audierim. Itaque, si quid est in me, (quod iam sperare videor, quoniam qui-*

dem vos, his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis) ex eo est, quod nihil quisquam umquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. Atque ego, is qui sum, quantuscumque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, neminem omnium tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. Requiro rectam sententiarum coniunctionem. Ex eo, quod orditur a *namque*, quodque *assentandi suspicionem* memorat, intelligimus Antonium confirmare hoc velle quod modo de Crasso dixerat: sed sequitur, *neminem esse oratorem arbitror, quem non diligenter audierim!* Et vera conclusio sententiae in extremis demum est verbis, *neminem omnium — ornamenta dicendi:* sed hoc quum ab initio in animo haberet, nunc dimittit, et mox, tamquam prorsus novum, hoc inchoat, verbis *atque ego* cet. Partim hoc vitium emendando, partim interpungendo tollendum est. Et primum quidem, quae ab Antonio memorantur de omnibus oratoribus a se diligenter auditis, cohaerere oportet cum illa, quam repellit, assentandi suspicione: nisi enim omnes audivisset, temere affirmabat, et assentandi suspicionem movebat. Quapropter illa digressio, in qua hucusque paucissima illa verba

parenthesi incluserunt editores, continuanda est usque ad *penitus insederit:* sed ita continuanda, ut legamus *neque enim esse oratorem* —. Neque hanc correctionem gratuito arripi, intelligetur si probavero *neminem* perperam poni hoc loco. Pervulgatum quidem hoc est, *nemo* cum substantivo pro *nullus* usurpari: sed, quod ipsa exempla apud Zumptium Gramm. Lat. § 676 probabunt, tum hoc fit, quum insigne quid, vel ad laudem, vel ad dedecus memoratur, non eiusmodi, cuius hoc est, *quem non audierim:* sic *nemo* recte ponitur supra I, 29, 132. Porro continuandae eidem digressioni accommodandum est id quod sequitur, legendo *atque si quid est in me*, pro *itaque*, ex frequentissima horum vocabulorum confusione. Contra, ubi instauratur sententia, ex Voss. legendum, *itaque ego is qui sum* —, pro *atque.* Erit igitur, ex mea sententia, sic totus locus scribendus: *Namque ego Catule; — dicam enim non reverens assentandi suspicionem: neque enim esse oratorem paulo illustriorem arbitror, quem aetas nostra tulerit, quem non et saepe et diligenter audierim; atque, si quid est in me, quod iam sperare videor, quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis, ex eo est, quod nihil quisquam umquam me audiente egit orator,*

quod non in memoria mea penitus insederit: — itaque ego, is qui sum, omnibus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, cet. In his ratio reddenda restat eorum quae omisimus. Nam verba *neque Graecum neque Latinum,* tam ineptum est additamentum, ut valde mirer tam patienter hucusque propagatum esse. Nullo modo de Graecis oratoribus hoc affirmare potuit Antonius, qui semel per breve tempus Athenis fuerit: neque Romae quos audivisset oratores, eos *Latinos* appellavisset, quod gentile nomen in sermone, in lingua, in literis ponitur, non in Romanis hominibus: contra, *apud Latinos,* oratores memorat in Brut. 46, 169 init. Porro eiecimus haec verba, *quantuscumque sum ad iudicandum:* quae primum otiosissimam continent tautologiam eius quod modo dixerat, tum *quantus,* ut *tantus,* et *magnus, ad iudicandum,* improprie iunguntur.

VII.

Continuatio (Lib. II. Cap. 28, 124—53, 216.)

Cap. 28, 125. De Antonii vi dicendi loquens Crassus, memoratis causarum exemplis ita concludit: *in quibus non hoc maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare, sed haec ipsa, quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt.* Postrema non conveniunt primis: *in quibus non hoc maxime inituit, sed haec ipsa — ea semper in te eximia fuerunt.* Corrigendum est, *quae semper in te* cet.

Cap. 29, 129. *Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat.* Transponendum videtur, *harum trium partium orationis prima lenitatem, secunda* cet. Conf. Cap. 49, 201.

Cap. 30, 130. *Ac tibi sapienter monenti, L. Crasse, libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones — relinquamus.* Nihil est cur defendatur futurum *assentiemur:* nam *ut relinquamus* per se significat, relinqui oportere a nobis. Quare corrigendum, *assentimur.* Tum rectissime Leid. omittit praenomen *L.*

Cap. 31, 133. *Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magno opere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum*, cet. Melius distinguendo hoc incommodum tolli poterat, quod *illud*, in principio positum, nullis verbis, in sequentibus, explicatur quid sit. Nam saepe etiam, extra continuatam constructionem, absolvitur id quod propositum erat nova sententiae constitutione, sicut mox Cap. 32, 140: *illud ad me —: quomodo* cet. Cap. 72, 295: *alte-*

rum est illud —: non tam ut prosim causis elaborare soleo —. Nempe, inde a verbis *in quo summus*, usque ad *atque impolitum*, parenthesis est, absolviturque sententia instituta verbis, *constituunt enim* cet., quae non nisi semicolo a superioribus erant separanda. De hac forma enuntiandi. pro, *illud videndum est, quod constituunt —*, monui supra pag. 77, similem esse apud Graecos usurpatam disiunctionem.

Cap. 32, 138. Praeceperat modo, in omnibus causis genus ipsum universa disputatione quaerendum esse, nihilque eo pertinere singularum causarum personas. Tum addit: *ac si quid affert praeterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra quaestionem est, et ea tamen ipsa oratio ad universi generis disputationem referatur necesse est.* Sane haec intelligi possunt: sed non decebat nunc monere, illa quae hominem attingerent *esse extra quaestionem:* nam et per se hoc intelligebatur, et alius rei causa totum hoc extremum adiicitur, nempe ea ipsa quoque ad universam disputationem revocanda esse. Quare aptius legetur, — *quod extra quaestionem sit, ea tamen ipsa oratio —.*

Ibid. 139. In rhetorum reprehensione, qui perversa distributione causarum uterentur, haec dicit Antonius: *Tantum satis est intelligi, ne*

hoc quidem eos consecutos, quod in tanto otio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaque paullo subtilius explicarent. Nulla demonstratione, opinor, opus est, corrigendum esse *poterant:* nam non effecisse eos, modo dixerat; sed obiicit, quod, quum possent, non consecuti sunt.

Ibid. 141. Idem illud demonstraturus in causa Coponii, *Nihil ad copiam*, inquit, *argumentorum neque ad causae vim ac naturam nomen Coponii aut Curii pertinuit. In genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus, omnis quaestio: Quum scriptum ita sit:* SI MIHI FILIUS GENITUR ISQUE PRIUS MORITUR *et cetera,* TUM MIHI ILLE SIT HERES: *si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo institutus heres sit, heres esse.* (Cap. 33.) *Perpetui iuris et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi et argumentorum fontes desiderat.* Divulsa in his alia, alia temere copulata. Verbi causa, *in genere erat — omnis quaestio: quum scriptum ita sit —;* requirebatur sane *scriptum ita esset,* et mox, *si natus filius non esset, videreturne —.* Sed tum haec sunt a superioribus separanda, tum arctissime cohaerent cum sequentibus. Quapropter

sic describendus locus erat: — *omnis quaestio. Quum scriptum ita est: SI MIHI FILIUS GENITUR ISQUE PRIUS MORITUR et cetera, TUM MIHI ILLE SIT HERES; si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo institutus heres sit, heres esse, perpetui iuris* cet. Sed in extremis illis *rationem dicendi* — *desiderat*, iterum emendandum est *discendi*. Nam *ratio dicendi*, est ipsa forma eloquentiae, de qua nunc non agitur, omninoque hanc tantum praecipiendi partem susceperat Antonius, quid dicendum esset, alteram, quo modo, Crasso reliquerat. Nunc autem versatur in explicando, quo modo natura causarum intuenda ac discenda sit, neque in singulis illud quaerendum esse quibus argumentis eae defendantur, sed cognito genere universo, eo singulas esse revocandas. Atque haec est *ratio discendi*. Et statim post de discendo agere pergit.

Cap. 33, 142. Hoc igitur in Ictorum libris reprehendit, quod referrent quid alicui de iure respondissent: *credo, ut putaremus in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse, ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a iure cognoscendo voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiiceremus*. Videntur Interpretes, *debilitati* accepisse pro *deterriti*, nulla prorsus auctoritate:

et constanter *debilitari*, ut *frangi*, quocum saepe coniungitur, pro *fatigari* ponitur. Hinc apparet vitiose coniungi *debilitati a iure cognoscendo:* et gerundium illud interpolationi deberi puto, posteaquam vera lectio, ut arbitror, *numero*, corrupta esset in *a iure.*

Ibid. 144. *Istam oscitantem et dormitantem sapientiam Scaevolarum et ceterorum beatorum otio concedamus.* Recte Henrichsenius suspicatur *et dormitantem* esse glossema: caret iis Voss. quoque, Leid. sine copula superscriptum habet participium. Sed minime, credo, decet Antonium isto modo Scaevolarum vitae institutum et conditionem ridere: quare ipsa illa *Scaevolarum et ceterorum* interpolata videntur. *Beati* omnino, isto sensu, invidiose appellantur aliquoties in Epp. ad Atticum. Sed h. l. credo deos Epicureos intelligi.

Cap. 34, 145 sq. Antonius eius loci, quem modo exorsus erat, hunc esse finem dicit, *ut eam materiem orationis, quae cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam instructam ornatamque comprehenderent, rebus dico et sententiis. Eae vi sua verba parient, quae semper satis ornata mihi quidem videri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur.* Nemo, credo, hoc probabit, ut, quum *eae* necessario ad *res et*

sententias referendum sit, tum hae dicantur *verba parere*, tum ut rursus in clausula ponatur, ut *res ipsa peperisse videatur.* Nimirum et diversa sunt *res et sententiae* a *verbis*, et materia potius utrumque parit, ex Antonii sententia. Praeterea incongruum est totum hoc praeceptum sic distrahere, ut, quod minimum, in hac quidem disputatione, (nam Crassus istud uberius persequitur de industria) esse censendum est, velut novum adiiciatur separatim. Quare, continuata sententia legendum est, *rebus dico et sententiis, eaque* (nempe *materies*) *vi sua verba pariat: quae* cet.

Cap. 35, 149. In illa diligentiae commendatione laborat clausula: *deinde ut in iis locis, quos proponam paullo post, pervolvatur animus, ut penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est; ut his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires, diligentia est.* Duo postrema vocabula sunt ab Ernesto: Codd. alii, *haec magna sunt*, alii nihil adiiciunt post *ut vires.* Sed, quum tota haec particula tertio loco in commendatione ponatur, *deinde* mutandum videtur in *denique*, conveniteque ut sic absolvantur reliqua una verborum continuatione; id quod commode fiet, si legimus, — *diligentia est, utque his rebus — ut vires.*

Cap. 36, 152. *Aristoteles — proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur.* Et *via* corruptum est, et *ratio*, quod alii habent, interpolatum, postquam vera lectio evanuit, cuius vestigia remanent in Havn. A. *argumentandi vis.* Scilicet, legendum est, *omnis argumentorum vis*, i. e. copia.

Cap. 38, 158. E dialectica Diogenis hoc proponitur, secundum plerosque Codices et Editt. *Nam et omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse, et si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit an falsum; et si coniuncte sit elatum, et adiuncta sint alia, iudicent, rectene adiuncta sint, et verane summa sit uniuscuiusque rationis.* Praetereo virorum doctorum explicationes et correctiones, meamque sententiam proponam. Apparet agi primum de enuntiatione, post de syllogismo. De enuntiatione haec dicuntur: *nam et omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse, si simpliciter dictum est, suscipiunt [dialectici,] ut iudicent, verumne sit an falsum: et si coniuncte est elatum, et adiuncta sunt alia, iudicant rectene adiuncta sint, et verane summa sit uniuscu-*

iusque rationis. Probabitur, credo, levissima haec correctio. Universe primum praemittitur de enuntiatione, eam esse vel aientem, vel negantem: tum in duo genera dispertitur, in simplicem, et in hypotheticam vel consequentiae, quae continet syllogismum: itaque opponuntur inter se, *et omne, si simpliciter* — (in quibus delenda erat copula ante *si*:) tum, *et si coniuncte* —. Mutavi praeterea Coniunctivos (*dictum sit, sit elatum, adiuncta sint*) in Indicativos: et quod *suscipiunt* recte praecesserat, postremum *iudicent* quoque in *iudicant* mutandum erat. In Leid. quidem pr. manus habet *iudicant*, correctum in *iudicent:* tum idem, omisso *si*, habet *et simpliciter*.

Ibid. 160. Duo commemorantur libri Aristotelis, quorum alterum *Theodectea rhetorica* esse puto, alter ipse ille est, quem hodieque habemus, *Τέχνης ῥητορικῆς* tribus libris: conf. Buhlius Argum. librorum Aristotelis de Rhetor. initio. — Priorem accurate designat Antonius —, *illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum:* sed de altero opere quod dicit, corruptum esse non dubito: *et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit.* Igiturne in tribus illis libris non nisi *quaedam*, sua quae essent, exposuisse Aristotelem credemus? Aliud

agenti hoc concedi poterat, non ei qui de industria argumentum persequitur, quique praesertim aliorum sententias peculiari scripto persecutus erat. Praeterea mira haec est locutio *sua dixit*, quum vellet *explicuit*, aut simile quid. Videtur horum verborum corruptela antiquissima esse, siquidem nihil variant Codices: et *de eadem arte* sane interpolationem sapiunt permolestam, quoniam modo *dicendi artes superiorum* memoraverat, nunc autem *eadem ars* alio sensu accipi debent. Corrigendum esse puto, *in quibus ipse suam quamdam artem edidit.* — Mox, quae in laudem Aristotelis dicuntur, *quod ille* (i. e. Aristoteles) *eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque videret, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem, quam ille despiciebat, pertinebant:* levem susceperunt maculam, quod *ille*, ante *despiciebat*, prorsus absurdum est, siquidem hoc pronom. tum ponitur, quum subiectum diversum, ab eo quod in proxime antecedente verbo cogitatur, indicandum est. Corrigendum est *quam scilicet despiciebat.* Conf. Offic. I, 1. fin.

Cap. 40, 170. E Crassi in Carbonem oratione haec apponuntur: *simulasse te et aliud quid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in*

tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissedisti. Non credibile est a Cicerone esse *eam legem:* quod pronomen vel explicandum erat sequ. relativo, vel ad proxime antecedentia referendum, in quibus nihil est, quo *ea lex* pertineat. Si de notissima quadam lege sermo esset, quam appellari necesse non erat, scripsisset *illam legem.* Sed quum reliqua omnia satis accurate designentur, hic quoque perniciosissima lex indicanda erat: quamobrem scripsisse puto Ciceronem, *quod legem de tribunatu tulisti*, id est, de Tribunis pl. reficiendis, de qua Lael. 25, 96. *Eam* interpolatum videtur, et in Voss. omissum est. Sed ne hoc quoque ferendum arbitror, quod Carbo Africani *necis socius* dicitur a Crasso. Nihil umquam in ea re nisi suspicio valuit: cf. Lael. 3, 9 et 12, 41. ad Div. IX, 21, 3. Si quid amplius constitisset, quis dubitat quin in iudicium ea res deducta fuisset? Non igitur temere Crassus potuit ultra suspicionem progredi. Praeterea, ut recte dicitur *culpae socius*, et *facinoris*, similiaque, item *Africani interficiendi socius*, non dici posse puto *necis socius*, quoniam *nex* passive ponitur, et mors ipsa est, quae infertur. Hinc exigua mutatione legendum *necis conscius.*

Cap. 41, 176. *Si vero assequetur — ad dicendum requiret.* Haec tota appendicula non

est huius loci. Nondum enim hoc agit, et pertinet potius ad tertium praeceptum de commovendis animis: conf. § 181. Collocanda fortasse in fine § 178. Nam *illa*, quae initio § 179, significantur, sunt illae duae reliquae partes, *conciliandorum* hominum, et *concitandorum:* conf. supra Cap. 28, 129.

Ibid. 177. *Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate.* Bis corrigendum est: primum *agnoscat*, tum *qui audit.*

Cap. 43, 182. Ubi de concilianda voluntate eorum qui audiunt praecipere instituit, haec dicit: *valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta et facta et vitam eorum, qui agent causas, et eorum pro quibus —.* Voss. omittit *et facta et vitam*, eademque Leid. margini adscripta habet. Non esse Ciceronis puto *et facta et.* Universe, quid hominem commendet quaeritur: *facta* singula probari tum difficile, tum in illa generali commendatione non necesse; ne dicam *facta* non nisi in insignibus ad eventum rebus poni, minime in communi et continua hominum vita, sed proprie magis, ut paullo post, in singulis *res gestas* memorari, et ne has quidem in eo qui causam ageret, sed in eo, pro quo diceretur, i. e. in *homine.*

Ibid. *Sed haec adiuvant in oratore, lenitas vocis, vultus pudoris significatio, verborum comitas.* Male defendunt viri docti ista, *vultus pudoris significatio*, observatione duplicis genitivi; neque huius genitivi exemplum erat petendum ex Cap. 82, 333, ubi meliores libri et mei habent *ingenii ostentationisque suspicio.* Si enim recte dicitur *vultus pudor*, non potest alia esse huius pudoris *significatio*, quoniam ipse vultus indicat, certe oculi, qui indices sunt: conf. infra III, 59, 221. Orat. 18, 60. Interpolatum esse credo *significatio*, scribendumque *vultus pudor*, quod ipsa concinnitas partium postulat.

Cap. 44, 187. *Sed tantam vim habet illa, — flexanima atque omnium regina rerum oratio, ut non modo inclinantem excipere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.* Non erat dubitandum, quin vera esset lectio *inclinantem excipere*, i. e. adiuvare et confirmare in ea inclinatione, ut facilius se det et ulterius moveatur: conf. supra Cap. 8, 32. In Leid. *excipere* a pr. m. corrigitur in *erigere.* Sed postremum *capere*, quod tertium ponitur, minus aptum videtur. Non versatur in illa metaphora ex qua dicitur *expugnari iudicum voluntas*, aut *manibus extorqueri sententia;* sed in ea, qua

dicitur orator *permovere*, *deducere* et *adducere* eos, qui audiant, quo velit, quae omnia motus sunt: idque ubi tamquam per vim fit, dicitur *trahere* et *rapere*, atque hoc postremum, olim, ut puto, obliteratum, restituendum est, pro constanti librorum lectione *capere.*

Cap. 45, 190. *Neque enim facile est perficere, ut irascatur ei, cui tu velis, iudex, si tu ipse id lente ferre videare.* Non apparet quo referendum sit *id*, quod, additum ab iis, qui non intelligerent *lente ferre* absolute dici, et opponi irae, delendum est.

Cap. 46, 193. *Numquam illum* ADSPECTUM *dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. Ut idem inflexa ad miserabilem sonum voce: — flens ac lugens dicere videbatur. Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat: quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse?* Recte defendit Ernestus *illum adspectum*, pro *illud:* nempe, quod in Graecis articulus praestat, ut non res, sed vocabulum rei designetur, id Romanis pronomen efficit, eodem genere cum substantivo iunctum. Sed mox, in contrario animi motu, praestat legere *At idem* —. Postremo, bene mihi vidisse videtur Ernestus, *recte* eiiciendum esse: demon-

strat enim illum in histrione affectum animi ipsa orationis natura tamquam imponi: itaque ab actore recte concludit ad inventorem, Pacuvium, atque sic oratorem quoque, qui sua profert cogitata, complectitur.

Cap. 51, 206. Quum dixisset Antonius, qui affectus in iudicum animis oratione essent moliendi, de singulis dicturus sic pergit: *sentimus amorem conciliari, si id velle videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere; si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint, laborare.* Ineptum est, quod commendatur *videri velle defendere:* melius aliquanto foret, *videri defendere.* Sed non de defensione agitur, verum de animo actoris: et, eiecto *defendere*, quod interpolatum est, undeque ridicula correctione *iure* substitutum est in nonnullis libris pro *velle*, legendum, *si id velle videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, aut si pro bonis viris — laborare*, sc. videare. Nisi ista transpositio *aut si* probatur, postrema illa videbuntur continere quamdam partitionem generis praecedentis; id quod plane a sententia alienum est.

Quae his subiiciuntur, nec dilucide dicuntur, nec bene distinguuntur. *Namque haec res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem: plusque proficit, si proponitur spes*

utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. Enitendum est, ut ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse aut utilitatem, cet. Non apparet, primum, unde sit illa oppositio, *haec res*, et *illa virtutis defensio.* Nihil dum dixerat de virtute defendenda, aut de ulla defensione: quod tamen necesse erat, propter pronom. *illa.* Tum abruptum initium novae sententiae, quamquam in eodem pergitur praecepto, perquam molestum est, *enitendum est* cet. Equidem sic refingendum esse locum arbitror: *nam ut haec res amorem magis conciliat, quam ullius virtutis defensio, plusque proficit — commemoratio; enitendum est* —. Nihil huc pertinet *caritas*, quae in omni hac disputatione ne memoratur quidem.

Cap. 52, 210. *Ad sedandum autem*, (nempe *invidiam, dicendum est*) *magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata, seseque, si quam gloriam peperisse videatur, tametsi ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari* —. Ferri non potest *seseque*, in iis, quae oratorem pro reo dicere oportet; nec defenditur praecedenti *suum.* Nihil est nisi *διττογραφία* sequentis *si quam:* et omisso illo, sicut abest in Cod. Voss., elegans oritur asyndeton.

Ibid. *Omninoque perficiendum est, quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium et pervagatum, invidetur autem praestanti florentique fortunae, ut haec opinio minuatur, et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta esse videatur.* Vindicanda sunt verba, *invidetur autem praest. flor. fortunae*, quae spuria iudicabat Ernestus. Nam demtis illis, *haec opinio* non habebit quo referatur, quae nulla alia est, nisi, eam fortunam praestantem et florentem esse. — Mox § 211, misericordiam moveri ita dicitur, *si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas aut timeat, aut intuens alium crebro ad se ipsum revertatur:* in quibus postrema nihil diversum continent a prioribus, quod Madvigius quoque animadvertit; igitur offensioni esse illud *aut*. Sed perperam hic mutat in *ut*, (quod fidenter edidit Henrichsenius:) non enim indicant quid ex illis sequatur, sed plane idem aliis verbis dicunt. Corrigendum est, *et intuens* —.

Cap. 53, 214. Quum praecepisset, si semel orator vehemens illud genus orationis ingressus esset, non celeriter esse discedendum; non enim, sicut argumentum, simulatque positum sit, arripitur, ita animi affectus statim posse commoveri;

haec addit: *argumentum enim ratio ipsa confirmat, quae simul atque emissa est, adhaerescit.* Sic fere Codices. Viderunt viri docti perperam dici, *rationem emitti.* Hinc Orellius suspicabatur, *quae, simul atque emissum est:* recte, quod *argumentum*, veluti telum, *emitti* putat; non recte, quod *rationem adhaerescere.* Wyttenbachii coniecturam, *cui, simulatque emissum est*, probat Henrichsenius: sed non potuit Cicero dicere, *argumentum rationi iudicis adhaerescere:* dixisset, credo, menti, animo. Nihil restat, nisi ut corrigamus, *quod, simul atque emissum est:* nam *adhaerescit*, ut infra § 219 fin. *haerere*, et saepe alibi, absolute ponitur. Igitur, *argumentum ratio confirmat*, sic dicitur, ut validum sit argumentum ipsa, quam continet, rationis conclusione.

Ibid. 216. Quum dixisset argumento adversarii quomodo resistendum esset, de altero genere orationis sic docet: *illa autem quae aut conciliationis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus inferenda sunt, ut odio benevolentia, misericordia invidia tollatur.* Non probo rationem corrigendi, quam viri docti inierunt: siquidem *inferre commotionem* aptissime dicitur, ut modo supra § 214. Fortasse nihil mutandum est, nisi ut legatur *contrariis commotionibus inferendis fiunt.*

VIII.

Continuatio (Lib. II. Cap. 54, 216 usque ad finem.)

Cap. 54, 221. In dicacitate difficillimum esse dicit Caesar ea, quae occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. *Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. Dicere enim aiunt Ennium*, *FLAMMAM A SAPIENTE FACILIUS ORE IN ARDENTE OPPRIMI, QUAM BONA DICTA TENEANT; haec scilicet bona, quae salsa sint.* Quid isti ridiculi interpretati sint, ex hac loci lectione non apparet: nam, difficillimum illud esse probant quidem versu Enniano, sed nihil interpretantur. Legendum est, — *non insulse interpretantur dicere En-*

nium, FLAMMAM cet., i. e. Ennium ipsum sic interpretantur, ut ipse hoc dicere videatur. Quid in aliis sit Codicibus, non notatum reperio: in Voss. et Leid. est *dicere enim aiunt*, omisso *Ennium:* sed *enim aiunt* corrupta ipsa sunt ex *Ennium.*

Cap. 56, 229. *Attamen, inquit Antonius, quum artem esse facetiarum, Iuli, negares, aperuisti quiddam, quod praecipiendum videretur.* Nusquam isto nomine appellat in sermone Caesarem: itaque mirari satis non possum Editores, qui haec propagarunt. Reponendum est, quod margo Crat. affert, *ullam negares*, confirmatum auctoritate Voss. et Leid. Mutarunt fortasse, qui, quum praecederet hoc, *hic quum arrisisset Crassus*, metuebant ne non intelligeremus pergere Antonium loqui ad Caesarem.

Ibid. 230. Adducere conatur Caesarem Antonius ut facetiarum praecepta explicet: nam, quod modo ille dixisset, esse praetermittendarum facetiarum: quaeri autem quomodo utendum sit, quum opus sit, ut in adversarium, et in testem. *Omnino probabiliora sunt quae lacessiti dicimus, quam quae priores*, cet. Haec omnia usque ad finem Capitis, generale quoddam praeceptum continent, sed ab Antonii persona, qui ista a Caesare postulabat, aliena, in primisque conveniunt ipsi Cae-

sari, hoc brevissimo monito defungi cupienti. Videtur igitur excidisse, *inquit Caesar.*

Cap. 57, 233. Concedit tandem Caesar, neque amplius defugit illam de facetiis disputationem. *Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum loquar de facetiis et docebo, sus, ut aiunt, oratorem eum, quem quum Catulus nuper audisset, FOENUM ALIOS aiebat ESSE OPORTERE.* Non temere haesit Schutzius in illis, *primum loquar de fac.*, sed parum apte corrigit. Legendum est, *primum loquar, tum de facetiis docebo, sus, ut aiunt, oratorem eum —*. Ipsum *loqui audiente Crasso*, simile eius ponitur, quod dixerat, *agere spectante Roscio:* alterum nihil habet cum illa similitudine commune, sed maius etiam est.

Cap. 61, 248. Genera ridiculorum expositurus Caesar, *Haec igitur*, inquit, *sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias.* Non puto recte dici, *habere facetias.* Diversa sunt, *habere leporem, gratiam, venustatem,* aliaque quae universe virtutem quamdam indicant. Servandum erat *haberi*, tum corrigendum, *alias in verbo facetum.*

Ibid. *Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam unde ridicula ducantur, ex iisdem locis fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, iocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur.* Neque *poni gravitatem*, aut *iocum*, neque *severe poni*, ullis auctoribus, ullave ratione probari potest. Neque agitur qua mente quis dicat, sed quo modo ab aliis distingui possit a gravitate iocus, quum iisdem verbis utrumque fiat. Corrigam, *gravitas in honestis rebus si verae sunt, iocus in turpiculis — agnoscitur.*

Cap. 62, 251. *Quare primum genus hoc, quod risum vel maxime movet, non est nostrum: morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum; naturae ridentur ipsae; quas personas agitare solemus, non sustinere.* In his hoc vitii est, quod genus illud ipsum ridiculi dicitur *morosum*, cet.: tum quod *naturae* dicuntur *rideri ipsae.* Bis haec locutio infra recurrit, Cap. 69, 279. et 71, 289: sed ubi non de imitatione sermo est, sicut hoc loco. Postremo *quas personas* difficile est explicare, quum nihil de hominibus dicatur in antecedentibus. Corrigendum puto, *morosum, — stultum natura videri, inane: quas personas —:* qua ratione commode *quas personas* ad illa ad-

iectiva, quae de homine dicuntur, referetur. Statim post rescribendum est: *alterum genus est imitationis admodum ridiculum*, pro constanti lectione, *imitatione*.

Cap. 64, 257. *Saepe etiam versus facete interponitur, vel ut est, vel paullulum immutatus, aut aliqua pars versus: ut Statius Scauro stomachanti* —, sequunturque duo versus. Sed illum Statium nemo novit: unde Ernestus lectionem praefert *Seius*. Quae suspicio duplici nomine improbanda est. Nam qui Offic. II, 17, 58, memoratur M. Seius, is posterior Scauri et Crassi aetate fuit. Tum quod Scauro isti versus obiiciuntur, contra historiam est, siquidem Scaurus potius coërcuit libertinos, eorumque suffragia in quatuor tribus urbanas coniecit. Lenissima correctione legi poterit, *ut Statii* (nempe versus) *a Scauro stomachanti*: quam tamen meam esse dubito, siquidem meminisse mihi videor in eamdem ante incidisse Orellium; sed requirentem me fugit eruditissimi viri annotatio.

Cap. 66, 266. Dixerat trahi facetum etiam ex similitudine, quae aut collationem haberet, aut tamquam imaginem: et proposito collationis exemplo, sic pergit: *valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem, aut in aliquod vitium ducuntur, cum similitudine tur-*

pioris. Non credo explicari posse, quid sit *imagines ducere in deformitatem;* minus etiam, quo modo hoc fiat *cum similitudine turpioris.* Nam imaginem ipsam, si faceta esse vult, turpissimam esse oportet, certe turpiorem quam id, quod cum ea conferatur. Videtur *imagines* interpolatum esse ab eo, qui hoc vocabulum e superiori quasi quadam distributione nunc, (ut modo *collationem*,) repetendum esse putaret. Sed eo omisso, lenissime corrigatur: *valde autem ridentur etiam, quae fere in deformitatem — dicuntur, cum similitudine turpioris*, i. e. ita, ut conferantur cum imagine quae turpior etiam sit.

Ibid. 268. Positis exemplis, in quibus significatio esset faceta, quum parva re illustratur res obscura et latens, et memorato, ex eo genere, Africani responso ad Asellum, haec adiicit: *tanta suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.* Ernestus haec non intelligebat: nec tamen dubitare eum oportebat esse haec Ciceronis. Schutzius coniectura commendavit *tacita suspicio —:* ingeniose, nisi quod *suspicio est* dici minus commode videtur de argumento aut sensu dicti cuiusdam. Excogitavi *iacta suspicio est*, i. e. Africanus illis verbis excitavit illam suspicionem, quae fortasse ante non fuisset.

Cap. 67, 270. De dissimulatione agens, *In hoc genere*, inquit, *Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse.* Non facile probabitur Iacobsii coniectura, *cluisse*, pro *fuisse.* Magis commendabitur, ut spero, *floruisse.* Verba illa tum alibi, tum Verr. V, 49, 128 confusa sunt.

Ibid. 271. De illo ironiae genere, et omnino de facetiis, sic dicit Caesar, omnia haec *non maiora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta esse. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus a me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere,* P. MUMMIUM CUIUSVIS TEMPORIS HOMINEM ESSE. Vellem aliquis demonstrasset, quid haec pertineant ad illud, quod modo dixerat, facetias omnium sermonum esse condimenta. Sed prava distinctio, ut saepe, ita nunc obscuravit argumentationem. Legendum enim est: *nam sicut, quod apud Catonem est, — P. Mummium cuiusvis temporis hominem esse; sic profecto res se habet, nullum ut sit vitae tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari,* i. e. sic lepos item cuiusvis temporis est. Confirmat haec Cod. Leid., qui non tantum ista sic iungit, sed initio quoque habet, *nam sunt* (corruptum e *sicut*) *quod Catonem est.*

Cap. 68, 275. *Valde haec ridentur, et hercule omnia, quae a prudentibus quasi per dissimulationem non intelligendi subabsurde salseque dicuntur.* Haeserunt in his viri docti, et corrigendum esse putarnnt. Sed *dissimulatio non intelligendi* est ea dissimulatio, qua stultitiae speciem quis assumit: et, sicut in Graeca syntaxi verbis negandi similibusque particula negans subiicitur, sic nunc dicitur *dissimulatio non intelligendi:* estque hoc genus epexegeseos, ut in illo Quinctiliani XII, 9, 7: *fastidium non agendi causas minores.* Nam ipsnm genus non *simulatio*, sed *dissimulatio* appellatur: conf. Cap. 67.

Cap. 70, 284. Appii maioris dictum refertur; *qui in senatu, quum ageretur de agris publicis et de lege Thoria, et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent, Non est, inquit, Lucilii pecus illud; erratis; (defendere Lucilium videbatur;) ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur.* Leid. quoque habet *Luculli* nomen, pro *Lucilii*, de quo miror Ernestnm annotare, non tanti esse quaerere. Sed Pighius sane Annal. T. III. p. 101, ita *Luculli* nomen defendit, ut ipsius dicti sal perire necesse sit: nam *pecus Lucilii* plebs intelligenda est, cui vectigal agri publici per Thoriam legem concedebatur. Quid, si dicamus ipsius

Ciceronis sphalma esse, quum et Thorii et Lucilii, utrique *Balbi* cognomine uterentur, Thorium indicantis eo nomine, quod aliorum Balborum esset? — Mox § 285, pro *Quum ei M. Flaccus*, corrigendum est, *qui quum M. Flaccus:* et aliquanto post, *qui quum laesisset:* de qua forma narrandi Madvigius apte monuit Epist. Crit. ad Orell. p. 106 sq.

Cap. 71, 289. Disputationem de facetiis concludens Caesar, *Haec autem*, inquit, *quae sunt in re et in ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Exspectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis, et similitudine turpioris, et dissimulatione — risus moventur.* Quo iure reliquis inserta sint illa, *ipsorum ridicule indicandis*, mirari licet. Nam nec ipsa per se quidquam significant, (*ridicule indicare ipsorum*, quid?) neque eodem vinculo, quo reliqua, nexa sunt. Voss. omittit sane *ipsorum ridicule:* et non dubito quin *indicandis* varia lectio sit praeced. *irridendis*, qua servata, ista interpolata stulte sunt.

Ibid. Statim haec subiiciuntur: *itaque imbuendus est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera et moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus*

etiam accommodetur. Quaecumque huius loci sit interpretatio, nullo modo haec e superioribus deduci videmus, sed extremum quoddam continere praeceptum, diversum a reliquis omnibus. Convenit igitur ut *itaque* mutetur in *atque.* Sed, *imbuere quem natura*, dici non posse contendo: nec quisquam imbuitur, nisi iis quae extrinsecus afferuntur, moribus, studiis, opinione, errore, similibusque. Quod coniecerunt, *induendus*, simili quodam vitio laborat; persona enim induitur, non natura: et omnino non quaeri videtur, quid alii, veluti magistri, in aliquo efficiant, sed quid ipsum per se consequi oporteat oratorem. Neque hoc negligendum est, quum facetiarum nullam artem tradi posse dixisset Caesar, tamen praecepta nonnulla explicuisse; sed ut universe in oratore, sic in eo, qui huic ridiculi generi operam dare vult, requiri oportere ut natura adsit, sine qua effici nihil possit. Non igitur praecipit nunc de natura, sed requirit eamdem: id, quod obtinebimus si hoc modo turpissima confusione liberatur locus. ***Atque imbuendus est his, qui iocose vult dicere, si sit natura quadam aptus ad haec genera et moribus***, cet.

Ibid. 290. Absoluta hac disputatione, Antonio, qui in huius diversorio sermonis libenter acquieturum esse dixerat, *censeo*, inquit Caesar, *ut*

satis diu te putes requiesse, et iter reliquum conficere pergas. Ego vero, (sunt verba Antonii) *atque hilare quidem a te acceptus, inquit, et quum doctior per te tum etiam audacior factus sum ad iocandum.* Voss. *factus iam ad ioc.* Et sane non tantum commode, sed necessario abest *sum.* Etenim formula *ego vero*, ubi confirmationem indicat eorum quae alter dixerat, explenda est e superioribus, ut h. l., *ego vero reliqua conficere pergam;* ita ut reliqua adiiciantur tantum, non novam sententiam contineant, sed rationem reddant eius, de quo assensum sit. In casu obliquo eiusdem locutionis exemplum est mox Cap. 73, 295.

Cap. 74, 298 sq. Respondet Antonius ad ea quae Caesar quaesierat, quare tam magnum putaret, nihil oratorem mali in causa facere: praemittit autem hoc, ut meminerint, *non se de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis et consuetudinis suae mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cuiusdam est ingenii ac singularis, cui quidem portenti simile esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo obessetque ei, quem defenderet: facit enim de se coniecturam, cuius tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet, quod contra se*

ipsum sit, *dicere. Sed ego non de praestanti quadam et eximia*, *sed prope de vulgari et communi prudentia disputo. Ut apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles; ad quem* cet. Bene vindicavit Ernestus particulam *ut*, intellexitque conferri cum Themistocle Crassum. Nihilominus in promptu est reperire, quamobrem in multis Codicibus, etiam in Voss., omissa sit illa particula; quippe, quum similitudinis propria sit, nihil est in proxime antecedentibus, quo Themistoclis referatur illa praestantia ingenii. Disputo, inquit Antonius, de vulgari prudentia: ut fertur fuisse Themistocles. Nihil ista cohaerent: neque adiuvat nos parenthesis, qua Ernestus includi vult illa verba (*sed ego non — prudentia disputo:*) nusquam enim similitudo quae infertur molesta parenthesi divellitur ab eo, cuius causa infertur: conf. supra Cap. 18, 75. Et quid tandem istis verbis docetur? nihil, nisi illud ipsum, quod initio dixerat (*mementote, non me de perfecti oratoris — meae mediocritate*). Restat ut penitus eiiciamus hinc verba illa, quae tum otiosa sunt, tum corrumpunt non tantum Tullianam, sed communem normam iungendae orationis. Locum fortasse idoneum magis habebunt inferius: verbi causa in fine § 300,

post verba, *suam significavit facultatem.* Mirabor si quis ex communi prudentia haec servanda h. l. demonstrare potuerit. Ceterum parenthesis, sive potius digressio, incipit a verbis, *cui quidem portenti simile* —, reditque ad institutam sententiam § 300, verbis, *sed neque propter hoc* —.

Ibid. 301. Nulla demonstratione, sed admonitione tantum, ut opinor, opus est, haec verba sic distinguenda esse. *Saepe aliquis testis aut non laedit, aut minus laedit, nisi lacessatur. Orat reus, urguent advocati, ut invehamur, ut male dicamus, denique ut interrogemus; non moveor, non obtempero, non satisfacio; neque* —.

Cap. 76, 307. Iam acturus est Antonius de ordine et collocatione rerum, *cuius ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum, altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus* —, *deinde ut concludamus atque ita peroremus: hoc dicendi genus natura ipsa praescribit.* A multis Codd., a Voss. quoque, abest *genus*, Leid. in margine habet. Sed ordo ille orationis non est *dicendi genus.* Necessario corrigendum est, *dicenti rerum natura ipsa praescr.*

Ibid. 308. *Multa enim occurrunt argumenta; multa, quae in dicendo profutura videantur.*

Postremum *multa* desideratur in uno libro Pearcii: sed molestius etiam est *argumenta*, quod manifesto interpolatum est, et a simplicissima sententia amovenda est illa species anaphorae, legendumque: *multa enim occurrunt, quae in dic. prof. vid.*

Cap. 77, 314. Reprehenderat Antonius primum illam nonnullorum opinionem, in collocandis argumentis primum locum tribuendum esse iis quae minimé firma essent; in eodemque genere, quod, ubi plures adhiberentur patroni, *ut in quoque eorum minimum putarent esse, ita primum eum* (sic Voss.) *vellent dicere.* Paullo post ita concludit: *ergo ut in oratore optimus quisque, sic in oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur*, cet. Quod raro fit, hic tamen usu venit, ut quum alii defendant vulgatam, alii corruptam esse putent, neutri tamen verum videant. Nam, *in oratore*, de quo dubitant alii, sic defendere, ut facit Orellius, idem est quod ignorare: confert enim cum Graeca locutione, ac si esset ἐν τῷ ἀεὶ ῥήτορι, quae non nisi in iis usurpatur, quorum successio est, ut perpetuo adsint, velut in consule, in aliis magistratibus. Et tamen defendendum est adversus Schutzii et Madvigii correctiones; sed interpretando, ut accipiatur pro, in deligendo oratore qui primus dicat, sic in ora-

tione eligenda qua prima utamur, in utroque optimum et firmissimum quidque primum sit.

Cap. 78, 317. Praecipitur de principio accurate instruendo, tum ad venustatem componendo, quum vehemens et pugnax esse non debeat. *Si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quod ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur; quanto hoc magis in oratione est spectandum, in qua non vis potius, quam delectatio postulatur?* Perperam mihi interpretari videtur Ernestus, *orationem* intelligendam esse »partem, genus orationis, scil. exordiorum, »in quibus non vis, sed delectatio quaeratur, per »quam auditores concilientur dicenti." Nam cum gladiatorio vitae certamine non exordium, sed universa oratio atque illud iudiciale certamen conferendum est, aut potius cum ferro, quippe utroque in suo genere certatur ac decernitur. Demonstratur hoc eo ipso, quod in ferro *vim* postulari dicitur, quae certe non spectabatur in illis *primis hastis*, sed in ipso *congressu.* Hoc si verum est, offensioni debet esse illud, quod in oratione *delectationem* postulari adiicitur. Primum enim incommode forensi eloquentiae delectatio tribuitur, quae propria est umbrae et palaestrae, non, ut toties dicit, pulveris et aciei:

cf. Cap. 84, 341. Deinde improprie ista iunguntur sic per similitudinem, in ferro, aut in illo gladiatorio certamine, vim postulari, quam praestare debeat ferrum, vel ipse ille qui pugnat, in oratione delectationem, quae non est oratoris, sed ad eos redundat qui audiunt. Et si quis putet sic ista explicari posse, ut postuletur *vim inferre* in altero, in altero *delectationem afferre*, non tamen negabit is hoc munus unum tantum de tribus esse, quae oratori imponantur, ut doceat, ut delectet, ut commoveat. Requiritur eiusmodi memorari virtutem, quae necessario in omni oratione postuletur, si muneri satisfactura est: eaque fortasse erit *elegantia.* — In ipsa clausula huius sententiae, *non vis potius, sed del.*, pro *quam*, habet Leid. quoque, eamque lectionem satis commendavit Wyttenbachius Bibl. Crit. I. p. 22. XII. p. 6: ex eademque observatione corrigendus est locus infra Cap. 80, 327, simplici transpositione, *ut non brevitati servitum sit magis, sed venustati.*

Cap. 79, 321. *Ex reo* (*reos appello, quorum res est*) — illam parenthesin totam interpolatam esse puto. Nam primum idem dixit iam supra Cap. 43, 183: tum h. l. alienum est, quum satis appareat ex adiectis, nunc intelligi eum qui contra criminationem defendatur.

Cap. 80, 329. *Difficilius est non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio aut in argumento aut in perorando.* Vitiosum est *in argumento:* neque enim ut *principium* certam orationis partem indicat, sic *argumentum.* Nec liquet mihi unde haec lectio fluxerit: Lambinus certe, *in argumentando* habet: mei Codices, *purgando.* Corrigendum arbitror, *in arguendo*, ut est supra Cap. 79, 323.

Cap. 81, 332. *Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando iudice vel mitigando, omniaque quum superioribus orationis locis, tum maxime extremo ad mentes iudicum quam maxime permovendas et ad utilitatem nostram vocandas conferenda sunt.* Intelligere non possum, quo modo res augeantur *inflammando iudice;* melius, si *inflammari iudicem rebus augendis* dixisset, aut, res augendas esse *inflammando iudici:* nam hoc consilium sit necesse est, eoque omnia referantur. Sed ipsum hoc consilium de industria in postrema parte sententiae explicat (*ad mentes iudicum* cet.) neque credibile est bis idem tam brevi intervallo dicere voluisse. Censeo eiiciendum esse *iudice*, corrigendumque, *vel inflammandis, vel mitigandis.* Voss. certe habet *inflammandis*, Leid. *inflammandos.* Quid sit *res inflammare*, (cui

in eadem forma opponitur *mitigare*) intelligitur ex Cap. 52, 209.

Cap. 83, 340. De concione agens, *nullo autem loco*, inquit, *plus facetiae prosunt et celeritas et breve aliquod dictum.* Recipiendam non esse puto Schutzii coniecturam, *hilaritas. Celeritas* enim ita cum *dicto* coniungitur Cap. 54, 220.

Cap. 84, 341. *Ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis, aut hominis alicuius ornandi quam utilitatis huius forensis causa laudationes scriptitaverunt.* Non capio interpretandi rationem eorum qui *et* ante *delectationis* omitti volunt. *Legendi* causa, i. e. ut legantur, de quo usu, praeter grammaticos recentiores, annotavit Ruhnkenius ad Sueton. Galb. 8. cf. supra Cap. 60, 243. Tusc. II, 7, 18, quem locum ideo infeliciter tentavit Beierus apud Orellium. Neque novum est hoc discrimen, ut aliae legendi causa, aliae delectationis compositae dicantur orationes; siquidem Isocrates *Περὶ Ἀντιδόσ.* initio, *τὸν μέλλοντα ἀναγνωσθήσεσθαι* distinguit ab iis, quae *πρὸς τοὺς ἀγῶνας*, aut *πρὸς ἐπιδείξεις* destinatae sunt: simileque discrimen servare solet Dionysius Halicarn.

Sed *nostrae laudationes*, inquit, *quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent —, aut scribuntur ad funebrem concionem, quae*

ad orationis laudem minime accommodata est: in quibus Ernestus, pro *orationis*, *oratoris laudem* scribendum, vel certe intelligendum esse putabat. Non assentior: non agitur de oratoris laude, sed de vi eloquentiae, utrum ea in tali laudatione explicari possit: itaque corrigendum, *ad oratoriam laudem*, sicut dicitur *oratoria vis*, *oratoria ornamenta*, et aliquoties in superioribus sic dudum correctum est.

Ibid. 344. Virtutem aliam esse alia aptiorem docet ad laudationem: igitur clementiam, iustitiam, benignitatem, alias, iucundas esse auditu in laudationibus: *omnes enim hae virtutes non tam ipsis, qui eas in se habent, quam generi hominum fructuosae putantur.* Voss., ut alii multi, omittit *in se*, in Leid. ex correctione addita sunt. Sed perperam credo ista defendi ab Ernesto. Dicitur sane *in se habere* tum de personis, tum de rebus, sed non nisi in iis, quae cuiusque natura propria sunt: sicuti modo ante § 342 externa et corporis bona dicebantur *non habere in se veram laudem:* et *habere virtutes* sic sine additamento dicitur, ut I, 18, 83. — Mox, in huius loci conclusione, corrigendum *videntur*, ut habet Voss., et Leid. a pr. m., siquidem ista ad omnes illas virtutes referuntur.

Cap. 86, 353. In illa narratione de Simonide,

qui quum apud Scopam coenavisset miraculo servatus traditur, haec dicuntur: *hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse. Quos quum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere* cet. Requiro Tullianam elegantiam in his, quod tum *sui* dicuntur interiisse, tum iidem a *suis* humandi esse. E nullo libro ullam video varietatem enotari. Voss. tamen habet, *ipsum cum cognatis oppressum suis interisse:* Leid. eodem modo, nisi quod corrigendo locum ad vulgatam formam revocat. Videri possit *cognatis* per interpretationem ad *suis* adscriptum fuisse. Sed potius est ut requiramus *oppressum interisse* non divelli a se invicem aliis interpositis; id quod constanter servari solet in iis participiis quae ornandi causa verbis praemittuntur, ut *neglectus iacet*, *obstrictus tenetur*, similiaque. Sed illis *cum suis* remotis, manent haec in illis libris, *cum cognatis*, quibus idem obstat, nempe quod eos *sui* humare voluisse dicuntur. Nam si omnes illi fuerant Scopae cognati, eosdem hi habuere *suos*, neque *internoscendi* necessitas erat. Puto corrigendum esse *ipsum cum convivis oppressum interisse.*

Cap. 87, 356. Quod plerisque locis continui, ut monerem de perversa interpunctione, quae dis-

putationis intelligentiae plurimum officit, nunc tamen dicendum est, haec sic esse distinguenda: *quare confiteor equidem huius boni* (sc. memoriae) *naturam esse principem, (sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium; sed haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam in nobis et procreata, educet atque confirmet:) verumtamen neque tam* cet. Post longiorem digressionem redit ad propositam sententiam.

In difficillima disputatione de locis et imaginibus ex Simonidea arte memoriae multa sunt, opinor, nondum dilucide explicita, quae temerarium sit in dubium vocare. Sed in extrema parte Cap. 88, 359 haec dicuntur: *rerum memoria propria est oratoris: eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus.* Improprie dicitur *memoriam (eam) personis notare:* nam, ut dixit § 354, *res ipsas rerum effigies notat:* indeque est *notatio* § 358. Corrigendum est, *earum singulas:* et, ut *personae* sunt ipsae illae effigies, aut formae, aut corpora, ita *bene ponere* eas ad locos refertur. Hinc apparet, ini-

tio Capitis, perperam dici *verborum memoriam maiore imaginum varietate distingui.* Quum enim post dicat res *singulas* notari posse, conficiendum est in verborum memoria non singula, sed potius quae unius sunt generis, verbi causa, una imagine comprehendenda esse. Sed continuo sequitur hoc: *multa enim sunt verba, quae quasi articuli connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt; eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur.* Et quod *multa* dicuntur esse verba, nemo utatur ut defendat *maiorem* illam imaginum varietatem; si quidem de multis illis subiicitur, ea *formari nulla similitudine posse.* Tum incongruum est ut, facta mentione memoriae verborum, de multis dicat, non de omnibus: neque credibile est cogitasse eum de copulis tantum orationis, quae tamen necessaria interpretatio est si ad unum genus multa illa verba vocantur *connectendi membra orationis* · (et sic interpretatur Schutz. Indic. Latin. V. *articulus*:) quis enim copulis memoria retinendis umquam artem quamdam destinatam esse putabit? et quae tandem istarum imagines fingi ullo modo possunt? Requirebatur praeterea in syntaxi, *multa sunt quae connectant.* Quum autem hoc de verbis dicatur, *formari nulla similitudine posse*, (necessario

quippe corrigendum est *eaque formari*, ne haec ad *membra orationis* referantur, de quibus nunc non agitur) ipsum hoc per se cogeret, in praecedentibus *maiore* mutandum esse in *minore*. Sed *multa* diutius ferendum non est. Una literula extracta legendum puto, *muta enim sunt verba*, i. e. ipsa per se nil significant, nullius rei aut sententiae in se habent notionem, ita nulla similitudine formari, i. e. nullius alius rei imagine notari et significari possunt. Isto modo Graeci, credo, dixerunt κωφὰ ῥήματα, certe apud Pindarum et Sophoclem haud dissimilia sunt. Quod autem adiicitur ad explicandum, *quae quasi articuli* cet., non sunt eo modo intelligenda quo Crassus infra III, 48, 186 dixit orationem esse oportere *articulis membrisque distinctam*. Neque enim huic generi tantum operae dedisse Antonius videtur, qui supra Cap. 34, 146 postularet, ut res et sententiae sua vi parerent verba. Nihil igitur aliud intelligere videtur, nisi hoc; membra orationis, i. e. ut Quinctilianus appellat, *sensus et res* quae exponenda sunt, verbis iungi et ad iusti corporis speciem expleri, tum dispositione, tum copia et flumine verborum, quae ipsa per se nihil significent. Sed quo modo cum his conciliabuntur postrema, *eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur?* Quae si ad sanam sen-

tentiam reducenda sunt, qua priora confirmentur, huiusmodi quid scriptum fuisse arbitror: *singulorum fingendae nobis sunt imagines* —, sed quod fieri infinitum sit, ideoque reiiciendum. Et in eamdem sententiam accepisse videtur Quinctilianus XI, 2, 25.

Cap. 90, 365. Crassus Antonii disputationem Graecis anteponens, haec dicit: *neque vero mihi quisquam copiosius umquam visus est neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie esse versatus.* Corrigendum, *in hoc genere docendi.* Supra I, 48, 208, Antonius ipse *dicere* opposuerat *disputationi.* — Mox praeferendum, quod Voss. quoque et Leid. confirmant, *ut in eo gravarer.*

IX.

Emendantur Lysiae Orationes. (Orat. I. De Caede Eratosthenis.)

Quo consilio Oratorum Graecorum volumina in scholis interpretari instituerim, dixi ante. Sequebatur Lysias: in quo operae pretium mihi facturus videbar, si, quae cum antiquitatum disciplina coniuncta essent, excerperem et cum aliorum auctoritate collata illustrarem. Sed, ut alia multa, ita ne hoc quidem genus disputandi discedere potest a diligentissima grammatica interpretatione, quacum ipsius orationis ac propemodum singulorum verborum diiudicandorum officium arctissime cohaeret. Quo animo Lysiae orationes mihi perlegenti et pressius consideranti nonnullae natae sunt suspiciones, quas pro instituto meo nunc exornarem,

Lysiam perdiu non nisi ex inquinatissimis Codicibus editum esse, satis cognitum est. Hinc larga seges exstitit utilissimarum correctionum, quae quum aliorum acumini, tum Marklando, Tayloro, Reiskio debentur. Perfecit postea Bekkerus, qui optimum Codicem Laurentianum excussit, ut minore etiam cum offensione illae orationes legerentur: qui quam severam orationis constituendae normam ac rationem tenuerit, si forte non cuivis perspicuum est, divinandum certe reliquit omnibus, neque aliis otium fecit qui singula vellent diligentissime explorare. Intelleximus hoc ex laudabili opera quam in Lysia emendando posuerunt Viri Docti post Bekkerianam editionem, Foertschius, Franzius, Dobreus, Bremius, Emperius, quorum omnium editos libellos usurpavi: nam de recentissimo Baiteri et Sauppii instituto satis iudicare nondum possum, nisi quod permirum mihi accidit permultas emendationes in textum illatas esse, itaque corruptam esse fidem istius editionis. Talia si aliquanto calidius fieri dicenda sunt, et si nulla re minus quam festinatione Oratorum Graecorum interpretationi consulitur, commodius certe utiliusque eorum est consilium, qui, non repetita editione, quae in singularibus locis excogitaverunt intelligentium iudicio permittunt, si quando post oriatur, qui orationis Lysianae

formam accuratissime mente perspiciat, ac falsa a veris secernere queat. Qualem editorem dum exspecto ipse, meas quoque emendationes edo, quibus qui velit utatur.

Orat. I. De Caede Eratosth. § 6. edit. Foertsch. (p. 8 sq. R.) Sunt permulta quae emendatius hodie leguntur quam antea, sed in quibus vera lectio nondum iis, quibus oportebat, argumentis defensa sit. De primo nuptiarum tempore narrans Euphiletus, τὸν μὲν ἄλλον χρόνον, inquit, οὕτω διεκείμην, ὥςε μήτε λυπεῖν μήτε λίαν ἐπ᾽ ἐκείνῃ εἶναι ὅ τι ἂν θέλῃ ποιεῖν. Revocatum est, Codd. auctoritate, θέλῃ, pro θέλοι, quod Reisk. servaverat. Et de canone quidem Grammaticorum, qui post Praeteritum Optativum postulant, dixit Bremius in Excursu I ad Lysiae Orationes Selectas: sed is nihil nunc ad hunc locum. De coni. ὥςε satis cognitum est, non semper esse *ut* finale, sed epexegesin quoque indicare. Igitur locus sic interpretandus: *hoc animo eram, hoc mihi ipse imperabam; neque molestus esto uxori, neque nimis in ipsius potestate esto, ut ipsa faciat quod velit.* Videtur praeterea ὅ τι ἂν θέλῃ ut per formulam dici in Praesenti: unde in hac ipsa Oratione § 19 (p. 22. R.) ποιεῖν ἐκέλευεν ὅ τι βούλομαι. et in Orat. VII. De Trunco Oleae Sacrae § 2 (p. 261. R.) ἡγούμενοι (in quo intelligendum

ἀπεγράψαντο, non ἀπογράφονται, ut Bremius volebat) ἐμοὶ μὲν ταύτην τὴν αἰτίαν ἀποχρωτάτην εἶναι ἀποδεῖξαι, αὐτοῖς δὲ ἐξεῖναι μᾶλλον ὅ τι ἂν βούλωνται λέγειν. Fallitur porro Foertschius, qui in Observatt. Crit. p. 47 hunc locum ad illud genus syntaxeos refert, in quo commutantur subiecta. Nam ἐπ' ἐκείνῃ εἶναι item de se dicit Euphiletus, *ab illius arbitrio pendere*; quemadmodum § 33 (p. 38. R.) ἐπ' ἐκείνοις τὴν οἰκίαν γεγονέναι. Ceterum liberanda videtur Lysiae oratio interpolatione, in § 10 (p. 14. R.) οὕτως ἠλιθίως διεκείμην, ὥςε ᾤμην τὴν ἐμαυτοῦ γυναῖκα πασῶν σωφρονεςάτην εἶναι τῶν ἐν τῇ πόλει. Cod. C. ᾤμην positum habet post γυναῖκα. Sed debetur correctori; scribendumque ὡς δὴ τὴν ἐμ. κ. τ. λ. Ὡς sequente Infinitivo, bene exponitur a Foertschio Obs. Crit. p. 78 sq.

Ibid. § 9. (p. 13. R.) ἐπειδὴ δὲ τὸ παιδίον ἐγένετο ἡμῖν, ἡ μητὴρ αὐτὸ ἐθήλαζε. Delendus est artic. in τὸ παιδίον. Tum αὐτὸ mutandum (quippe sic putide infertur pronomen) in αὐτή· attinebat enim hoc memorari propter sequentia, quum vulgo mos esset ut nutrices adhiberentur: conf. Demosthenes Eubulid. p. 1309. R.

Ibid. § 22 (p. 25. R.) Convenerat inter Euphiletum et ancillam, ut haec illi rem in flagranti demonstraret: καὶ μετὰ ταῦτα διεγένοντο ἡμέραι

τέσσαρες ἢ πέντε, ὡς ἐγὼ μεγάλοις ὑμῖν τεκμηρίοις ἐπιδείξω. Primus Taylorus vidit aliquid offensionis esse in hoc loco: sed non recte putat requiri illa μεγάλα τεκμήρια, ideoque mancam esse orationem. Melius Reiskius, post πέντε deesse sententiam, quae scilicet magnis illis argumentis demonstranda esset. Agnovit certe, opinor, quod Taylorum, quamvis acutissime cernentem, fugisse miror, non opus fuisse magnis illis argumentis ut demonstraret quatuor aut quinque dies intercessisse antequam Eratosthenem deprehenderet: sed fallitur idem, quum censet non nisi hoc excidisse, domi in flagranti deprehensum esse Eratosthenem; id quod μαρτυρίοις, non τεκμηρίοις erat confirmandum. Nimirum hoc erat demonstrandum, neque ante ullas inimicitias exercuisse cum illo Euphiletum, neque illum artibus in domum allectum, aut vi raptum esse, neque, quum in aram confugisset, sic interfectum, sicut illi contendebant, qui caedis Euphiletum reum agebant: conf. § 27. 37 et 43 sq. Igitur his locis demum edit illa τεκμήρια· quae, quum ipsa commendarentur iam totius rei, quo modo facta esset, expositione, ideo prius narrat quid postremo die accidisset (πρῶτον δὲ διηγήσασθαι βούλομαι τὰ πραχθέντα τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ.) Quare, si ludere conceditur, huiusmodi supplemento lacunam

post πέντε explendam esse puto: πρὶν ἐμὲ τοιαύτης ὕβρεως δίκην λαβεῖν, οὐκ ἐξ ἐπιβουλῆς, οὔτε βίᾳ, οὔτε ἔχθρας οὐδεμίας ἕνεκα, ὡς ἐγὼ κ. τ. λ.

Ibid. § 32. (p. 34 sqq. R.) Postquam Euphiletus duas leges memoravisset, alteram quae moechi deprehensi caedem marito permittebat, alteram quae maritum huius caedis iudicio absolvebat, tertiam hanc addit: κελεύει (ὁ νόμος) ἐάν τις ἄνθρωπον ἐλεύθερον, ἢ παῖδα, αἰσχύνῃ βίᾳ, διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν, ἐὰν δὲ γυναῖκα ἐφ᾽ αἵσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστιν, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι. Apparet non ipsa legis verba haec esse, sed praescriptum breviter iterari: cui brevitati occurrit nonnumquam argumentatio, quam oratores subiicere solent. Sed perperam mihi videntur Viri Docti, ut Marklandus et Reiskius, quamquam non eodem modo, *persuasionis* mentionem factam esse in lege censere, quod in sequentibus opponantur inter se οἱ βιαζόμενοι et οἱ πείθοντες. De utriusque contorta explicatione dicere non attinet. Illud manifestum est, primum non satis apparere quare a *viro* et *puero*, *mulier* segregetur per oppositionis formulam (ἐὰν δὲ γυναῖκα), et tamen in hac idem affirmetur quod in illis (ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι·) tum, satis inter se conciliari haec non posse, feminae qui vim intulerit dupli poena plecti, et in eadem caedem permitti (ἀποκτείνειν ἔξεστιν.)

Non credibile est in eadem lege utriusque et sceleris et poenae mentionem factam esse; quum praesertim moechi interficiendi marito potestatem faceret peculiaris lex. Multo magis aequum est in ipsa lege arctissime istaec coniuncta fuisse, ἐάν τις ἄνδρα, ἢ παῖδα, ἢ γυναῖκα αἰσχύνῃ βίᾳ, sicut in lege ὕβρεως apud Demosthenem Mid. p. 529. med., quam diversam esse ab illa non agnovisse videtur Dobreus in Adversariis Tom. I. 1. p. 194, neque distinxisse illam δίκην βιαίων, privatam actionem, ab γραφῇ ὕβρεως. Sed Lysias ideo videtur a viro et puero segregasse feminam, quod non nisi in hac moechus cogitari poterat et distingui ab eo, qui per vim stupraret: sed, sublata oppositionis particula, scribendum est, ἐάν τε γυναῖκα. Quod autem addit ἐφ' αἷσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστιν, non est illius legis, sed eius quam refert et aliis locis huius orationis Lysias, et Demosthenes Aristocr. p. 637. init., unde satis intelligitur in illa constructione sollemne fuisse ut particip. καταληφθεὶς omitteretur; id quod propter Reiskium moneo. Conficimus ex his verborum hanc sententiam esse: »non tantum qui viro aut puero, sed etiam qui »feminae, (i. e. iis, quibuscum deprehensos »moechos occidere adeo licet, uxori, matri, »sorori, filiae, pellici) vim intulisset, damni du»plo plecti:" tum subiicit, hinc intelligi, quanto

leviori poena plecterentur qui vim intulissent, quam οἱ πείθοντες, i. e. moechi. Notandus iterum est Dobreus, qui existimat in hac lege definitam poenam intelligendam esse, quum apud Demosthenem Mid. l. c. et Aeschinem Timarch. p. 41 sq. R. τιμητὸς ἀγὼν indicetur. Nam ipsa βλάβη in illa privata actione βιαίων aestimabilis erat, diversaque a poena (ζημία) ipsa quam lex definivisset; sicut bene coniecit Meierus de Lit. Att. p. 545, et ante eum Boeckhius Oecon. Civ. I. p. 397 sq. Bremius, quem veram loci sententiam perspexisse puto, vitiosam lectionem intactam reliquit.

Ibid. § 37 (p. 42. R.) Σκέψασθε [δ'] ὦ ἄνδρες· κατηγοροῦσι γάρ μου κ. τ. λ. Reiskius, qui ignorabat partic. δέ, suspicabatur aliquid deesse. Sed, quam unus Cod. apud Bekkerum e correctione afferebat, ea vel sine hac auctoritate restituenda erat, ideoque in Editionibus uncinis liberanda. Scilicet, quae hic abrumpitur oratio, ea instauratur iisdem verbis § 39. init.

Ibid. § 41. (p. 44. R.) καὶ κελεῦσαι αὐτοὺς συλλεγῆναι εἰς οἰκίαν τῶν φίλων τῶν ἐγγυτάτω. Non negligendus erat Reiskius, qui verissime vidit in τῶν φίλων additum requiri τινός· sed non post οἰκίαν, verum post τῶν φίλων ponendum pronomen, sollemni collocatione. Modo supra § 18, ἀγαγὼν αὐτὴν ὡς τῶν ἐπιτηδείων τινα· et sic fere perpetuo.

X.

Continuatio (Orat. III. Defensio adv. Simonem, et Orat. V. Defensio Calliae.)

Orat. III. adv. Simon. § 12. (p. 143. R.) Narraverat defensor, quum ipse profectus esset in Piraeeum, Theodotus autem amasius degeret apud Lysimachum, Simonem, qui vicinas Lysimacho aedes habitaret, invitasse nonnullos de familiaribus, et, dum pranderent et biberent, custodes in tecto posuisse qui specularentur, si forte de Lysimacho egrederetur adolescentulus ille, ut intus eum traherent. *Ἐν δὲ τούτῳ τῷ καιρῷ ἀφικνοῦμαι ἐγὼ ἐκ Πειραιῶς, καὶ τρέπομαι παριὼν ὡς τὸν Λυσίμαχον· ὀλίγον δὲ χρόνον διατρίψαντες ἐξερχόμεθα ἤδη μεθύοντες οὗτοι δ' ἐκπηδῶσιν ἐφ'*

ἡμᾶς. Haec est, in postremis, Codicum scriptura: quam Schottus iam corrigere studens, scribebat οὗτοι δ' ἤδη μεθύοντες. Sed quo pertinet illud *iam ebrii?* Aliud excogitavit Franzius Dissert. p. 20, quamquam miris plane rationibus commotus ut Schotti suspicionem improbaret: vult autem ipse sic constituere locum: οἱ δὲ μεθύοντες οὕτως ἐκπηδ. ἐφ' ἡ. Languere haec in concitata narratione, nemo erit, opinor, qui non sentiat. Lenissima mutatione legi poterit: καὶ δὴ μεθύοντες οὗτοι ἐκπ., i. e. *ecce*, *ebrii isti* cet. Hanc autem esse vim partic. καὶ, non opus est ut exemplis confirmem: cf. Animadv. ad Vigerum Cap. VIII. 7. § 10: neque multum diversi generis est καὶ — καὶ, de quo annotaverunt Valckenaerius ad Phoen. 1184. et Hermannus ad Soph. Antig. 1171.

Ibid. § 13 sq. (p. 143. R.) Continuat defensor, Simonem cum suis repente domo egressum in se et in Theodotum involasse, sed tum hunc prodita veste aufugisse, tum ipsum se alio ut evaderet sibi prospexisse, nimirum ne gravius quid accideret; οὕτω σφόδρ' αὐτοὺς ἐφυλαττόμην, καὶ πάντα ταῦτα ὑπὸ τούτων γιγνόμενα μεγάλην ἐμαυτῷ συμφορὰν ἐνόμιζον. καὶ ταῦτα μὲν δι' ἅ φησι Σίμων τὴν μάχην γενέσθαι, *in qua nec quisquam fractum caput habuit, neque aliud malum cepit, quemadmodum testibus vincam.* Ex his igitur

postremis non fuisse illam pugnam, neque *μεγάλην συμφορὰν* accidisse reo intelligitur. Non vidit hoc librarius, aut non curavit; qui etiam corruptam dederit *δι᾽ ἃ*, quod nemo est, qui apte interpretari possit. Hinc nata est correctio apud Stephanum, *ἵνα*, si forte cogitavit corrector *ἵνα* pro *ubi* accipi posse, ut esset, *et hoc est ubi Simon dixit pugnam fuisse:* perperam; nam sequitur statim et suo loco *ἔνθα*. Utrumque vitium tollimus, primum inserenda negatione, *οὐ μεγάλην ἐμ. συμφ. ἐνόμιζον·* alterum corrigendo: *καὶ ταῦτα νὴ Δία φησὶ Σίμων μάχην γενέσθαι.* Ridetur et evincitur Simon, qui istam fugam *pugnae* nomine appellaverit, unde apud Areopagum *περὶ τραυμάτων* conquereretur.

Ibid. § 20. (p. 147. R.) Quum ostendisset defensor impetum factum essse a Simone, unde sic male mulcati omnes discessissent, illius tamen socios postea confessos esse sua culpa omnia ista accidisse, neque quemquam eorum per quadriennium continuum quidquam sibi obiecisse, haec subiungit: *Σίμων δ᾽ οὑτοσὶ, ὁ πάντων τῶν κακῶν αἴτιος γενόμενος, τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἡσυχίαν ἦγε δεδιὼς περὶ αὑτοῦ· ἐπειδὴ δὲ δίκας ἰδίας ᾔσθετο κακῶς ἀγωνισάμενον ἐξ ἀντιδόσεως, καταφρονήσας μου οὑτωσὶ τολμηρῶς εἰς τοιοῦτον ἀγῶνά με κατέστησεν.* Hac interpunctione quum omnes Editores usi sint, conficio cogitasse eos in *ἀντιδόσει* de

notissima illa bonorum permutatione in liturgiis vitandis usurpata: ideoque Bremius adeo, tironum in gratiam, hoc institutum breviter attingit ad h. l. Sed vellem explicuisset idem, quae essent illae *δίκαι ἴδιαι*, quae ex ista antidosi orirentur: nam, quae personae propriae erant actiones, non bonorum ipsorum, eas in illo iudicio non permutari luculenter demonstravit Boeckhius Oecon. Civ. II. p. 125 sq. Sed, si minus prospere in privatis litibus certavisset defensor, quid ad actorem pertinebat, utrum eae ex antidosi, an aliunde ortae essent? Suspicor hoc sensisse Hoelscherum De Vita et Script. Lysiae p. 54: sed is in mirum commentum incurrit, explicans Simonem hoc consilio actionem *τραύματος ἐκ προνοίας* instituisse, »ut *ἀντίδοσιν* sibi oblatam averteret." Cuius sententiae ne vestigium quidem in Lysiae verbis deprehenditur. Ut verbo dicam, nihil huc pertinet illa bonorum permutatio: et interpunctione hunc in modum mutata, — *ἀγωνισάμενον, ἐξ ἀντιδόσεως καταφρ.* —, sensus erit, *permutatis partibus*, sc. ut ille me, non ego illum, ut oportebat, reum agerem; tamquam si iura et personas inter nos permutavissemus. Et hoc est illud *τολμηρῶς*.

Ibid. § 34. (p. 153. R.) *ἀλλ' εἰς τοσοῦτον ἀμαθίας ἀφικόμην, ὥςε — ὑβρισθείην.* Perperam haec

maxima distinctione a superioribus divelluntur: explent potius et concludunt eam interrogationem, quae instituta erat § 32, ὥςε τῷ ὑμῶν πιςὸν κ.τ.λ.

Ibid. § 35. (p. 154. R.) Ἔτι τοίνυν, ὦ βουλή, καὶ ἐκ τῆς μάχης γενομένης ῥᾴδιον γνῶναι ὅτι ψεύδεται. Corrigendum est λεγομένης, ex ea quam ille pugnam appellat, sed pugna non fuit. Conf. quae modo supra ad § 13. annotavi. Altera pugna rectius γενομένη dicitur § 18.

Ibid. § 38. (p. 155. R.) — εἰς τοιοῦτον ἀγῶνα καθέςηκα, ἐν ᾧ καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ τῆς οὐσίας τῆς ἐμαυτοῦ ἁπάσης κινδυνεύω. Tenebamus hucusque bonorum publicationem cum exsilio perpetuo coniunctam fuisse Athenis: neque aliud docent Meierus et Schömannus de Lit. Att. p. 314 et 741. Quapropter non intelligo, cur Wachsmuthius Antiquit. Hellen. II. 1. p. 270 not. 210 dubium hoc esse dicat propter Platonem Legg. IX. p. 877. A. B. Nam, ne fictas esse illas leges memorem, τὸ καρποῦσθαι ἅπασαν τὴν αὐτοῦ κτῆσιν concedit philosophus ei tantum, qui caedem tentaverit, sed fortunae beneficio perficere non potuerit; τραύματος autem ἐκ προνοίας (de quo in hac causa sermo est) mortem poenam esse dicit. C. F. Hermanni rationes cognoscere mihi non licuit. Recepta sententia confirmatur Orat. IV. De Vulnere Praemedit. § 18.

Ibid. § 43. (p. 160. R.) *Καὶ γὰρ δεινὸν ἂν εἴη, εἰ ὅσοι ἐκ μέθης καὶ φιλονεικίας ἢ ἐκ παιδικῶν ἢ ἐκ λοιδορίας ἢ περὶ ἑταίρας μαχόμενοι ἕλκος ἔλαβον, εἰ ὑπὲρ τούτων — οὕτως ὑμεῖς μεγάλας καὶ δεινὰς τὰς τιμωρίας ποιήσεσθε κ. τ. λ.* Usurpavit hunc locum Foertschius Comm. Crit. p. 3. ut demonstraret partic. *εἰ* iterari in eadem sententia: ceterum commode prius *εἰ*, ante *ὅσοι*, abesse poterit. Sed in totius loci compositione videtur aliquid turbatum esse, id quod acutissimum Dobreum l. l. p. 198 non fugit. Neque enim aut *φιλονεικία ἐκ παιδικῶν*, aut *ἐκ παιδικῶν ἕλκος λαβεῖν*, recte dicitur, sed, ut supra § 40, *φιλονεικεῖν περὶ παιδικῶν*. Rescribendum esse puto, — *φιλονεικίας περὶ παιδικῶν ἢ περὶ ἑταίρας, ἢ ἐκ λοιδορίας* —.

Orat. V. Defensio Calliae. Sunt, quae in hac oratiuncula quaerantur. Veluti non intellexit Reiskius cur Taylorus sacrilegii reum fuisse Calliam dixerit. Respondeo, primum hanc esse orationis inscriptionem (*ἱεροσυλίας ἀπολογία*), quam negligere fas non est, nisi occurrant quae manifesto evertant. Sed, inquit, quod initio memoratur, Calliam *περὶ τοῦ σώματος ἀγωνίζεσθαι*, aliud crimen fuisse evincit, siquidem sacrilegium morte plectebatur,

sed περὶ τοῦ σώματος, est *de statu libertatis*: contra, de vita certare, dicebatur περὶ τῆς ψυχῆς. Adversatur Dobreus, istius formulae (περὶ τοῦ σώματος) exempla indicans, tum in Andocide, tum in Lysia, e quibus conficiatur, ad vitae discrimen referri. Addatur De Caede Eratosth. § 50: quae causa caedis fuit ἐκ προνοίας, poena, mors. Igitur et περὶ ψυχῆς, et περὶ τοῦ σώματος, et περὶ θανάτου (ut Orat. adv. Simon. § 44.) dicebatur. Obiter corrigamus Orat. XXII. in Dardanarios. § 20. (p. 725. R:) ἐνθυμεῖσθε δ' ὅτι ἐκ ταύτης τῆς τέχνης πλεῖςοι περὶ τοῦ σώματός εἰσιν ἠγωνισμένοι. Nihil nunc attinebat curare quot fuissent iam, qui huius iudicii discrimen adiissent: sed hoc grave erat, istos ipsos iam saepissime ex illa fraude circumventos esse; quo magis necesse erat nunc ab iis poenam sumere. Quapropter πλεῖςοι mutandum in πλειςάκις. Adiicitur enim, adeo istos turpissimi lucri cupidos esse, ut malint καθ' ἑκάςην ἡμέραν περὶ τῆς ψυχῆς κινδυνεύειν, quam ab instituto desistere. Contra περὶ τοῦ βίου ἀγὼν, est de bonis: in Orat. IV. De Vulnere § 18. (p. 181. R.) Quod autem in Orat. VII. De Trunco Exciso § 26. (p. 282. R.) haec dicuntur a defensore: οὐ δήπου τὰς μὲν μικρὰς ζημίας οὕτω περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι, τοὺς δὲ περὶ τοῦ σώματος κινδύνους οὕτω περὶ οὐδενὸς ἡγοῦμαι· quodque istius

iudicii poena erat non mors, sed exsilium cum publicatione bonorum, ipsum hoc περὶ τοῦ σώματος Meierum De Bon. Damnat. p. 282. de exsilio interpretari video: equidem defensorem illum hyperbole uti opinor in ista quippe oppositione, ideoque non deflectendum esse a sollemni istius formulae sensu.

Quae quamquam ita sunt, nondum tamen constat de genere actionis qua defensor circumventus est. Indicavisse crimen servos Calliae, quum ex reliquis, tum e postremo vocabulo orationis, μηνύσαντες, conficitur. Sed minus recte Hoelscherus l. l. p. 56, per ἀπαγωγὴν ad XIviros delatum esse Calliam dicit. Nam ἀπαγωγὴν non nisi cives instituere poterant; servi, de quibus in hac causa sermo est, μηνυταί fuerunt: conf. Schoemann. De Lit. Att. p. 559: nisi quis haec ipsa vocabula de testimoniis accipere vult, quibus actor causam confirmaverit.

Reum hunc inquilinum fuisse, intelligitur satis e § 2: sed publicanum fuisse, quod vult Dobreus l. l. p. 199, minime probatur his verbis § 4. fin. ὅσοι τῷ δημοσίῳ βοηθοῦντες, quibus non dubito quin munera significentur, tum alia, tum εἰσφορῶν, quae inquilini quoque praestabant: conf. Boeckhius Oecon. Civ. II. p. 76.

Bremio imprudenti, opinor, excidit, apud Areo-

pagum hanc causam actam esse; quem formula ὦ ἄνδρες δικασταί in viam reducere poterat: neque omnino μηνύσεις ad Areopagum, sed ad populum pertinebant: conf. Schoemannus Antiqu. Jur. Publ. Graec. p. 231 sq.

XI.

Continuatio (Oratio VI. De Trunco Oleae Sacrae Exciso.)

Oratio De Trunco Exciso § 2. (p. 261. R.) Quum ante aliud crimen frustra comparare mihi studuissent adversarii, inquit hic defensor, nunc deferunt me *σηκὸν ἀφανίζειν, ἡγούμενοι ἐμοὶ μὲν ταύτην τὴν αἰτίαν ἀπορωτάτην εἶναι ἀποδεῖξαι, αὐτοῖς δὲ ἐξεῖναι μᾶλλον ὅ τι ἂν βούλωνται λέγειν.* Sed non reum oportebat *ἀποδεῖξαι τὴν αἰτίαν*, verum actorem. Igitur corrigendum *ἀπολύσασθαι*, id quod Dobreo quoque l. l. p. 205. in mentem venisse video.

Ibid. § 3. (p. 262. R.) Sequuntur statim haec: *καὶ δεῖ με, περὶ ὧν οὗτος ἐπιβεβουλευκὼς ἥκει, ἐν ὑμῖν τοῖς διαγνωσομένοις περὶ τοῦ πράγματος ἀκούσασι, καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίσασθαι. ὅμως δὲ πειράσομαι ἐξ ἀρχῆς ὑμᾶς διδάξαι.* Tentarunt hunc locum, quem turbatum agnoverant, Scaliger, Taylorus, Marklandus, Reiskius, postremo Dobreus ibid., alius alio modo. Sed in omnibus illis correctionibus remanet idem vitium argumentandi, quod in editis exemplis cernitur, nempe ut dicat orator, *oportet me de patria et de bonis certare, sed tamen rem ab initio narrabo:* id, quod ferendum nullo modo est. In libris nil magnopere varietatis, nisi quod pro *ἀκούσασι*, Steph. *ἀκούσαντες*. Sed necesse est deplorare defensorem praesentem conditionem, ex qua, quae adversarius structa et ante praeparata diceret (*ἐπιβεβουλευκὼς ἥκει*), ipse cum summo discrimine defendere deberet. Nam in tali accusatione maledicendi libertas versabatur; et quaevis fingendi. Hanc sententiam haec, nisi fallor, continent verba: *καὶ δεινὸν μέν, περὶ ὧν οὗτος ἐπιβεβουλευκὼς ἥκει, ἐν ὑμῖν τοῖς διαγνωσομένοις ἀπολογούμενον περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίσασθαι· ὅμως δὲ πειράσομαι ἐξ ἀρχῆς ὑμᾶς περὶ τοῦ πράγματος διδάξαι.* Quid molestum esset in hac conditione, alio modo di-

citur in Orat. XIX. Pro Bonis Aristoph. § 3: ἀνάγκη γὰρ τὸν ἀπολογούμενον, κἂν ἐξ ἴσου ἀκροᾶσθε, ἔλαττον ἔχειν· οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύοντες αὐτοὶ ἄνευ κινδύνων ὄντες τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο, ἡμεῖς δ' ἀγωνιζόμεθα μετὰ δέους καὶ διαβολῆς καὶ κινδύνου μεγίστου. Quod mutavimus ἀκούουσι (al. ἀκούσαντες) in ἀπολογούμενον, requirebatur hoc participium propter praecedens περὶ ὧν. Tum περὶ τοῦ πράγματος reieci in suum locum: ut enim aliquoties nude dicitur apud Lysiam ὑμᾶς διδάξω, ita alias vel τὰ πραχθέντα, vel τὰ πεπραγμένα, vel περί τινος, adiicitur, idque hoc loco aptum est. Postremo sustuli καὶ ante περὶ τῆς πατρίδος, non inutile tantum, sed etiam molestum. Initio, quod ex δεῖ feci δεινὸν, postulabat hoc defensoris querela.

Ibid. § 6. (p. 264. R.) Malorum, quae in illo bello (recte enim Dobreus p. 206 legendum suadet ὁ πόλεμος) acciderunt, facta mentione, haec addit: καὶ τὰ μὲν πόῤῥω ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἐτέμνετο, τὰ δ' ἐγγὺς ὑπὸ τῶν φίλων διηρπάζετο. Amici illi intelliguntur, qui primum Phylen, mox Piraeeum occupaverant. Sed transponenda videntur, ut legatur διηρπάζετο — ἐτέμνετο. Conf. Orat. XIV. in Alcibiad. § 33. (p. 546. R.) et Orat. XX. Pro Polystr. § 28. (p. 688. R.)

Ibid. (p. 265. R.) Iis, quae modo tractavimus,

continuo haec adduntur: »quo iure igitur propter »ea quae civitati male ceciderunt ego poenas da»rem?" *ἄλλως τε καὶ τοῦτο τὸ χωρίον ἐν τῷ πολέμῳ δημευθὲν ἄπρατον ἦν πλείω ἢ τρία ἔτη. οὐ θαυμαστὸν δ' εἰ τότε τὰς μορίας ἐξέκοπτον, ἐν ᾧ οὐδὲ τὰ ἡμέτερ' αὐτῶν φυλάττειν ἠδυνάμεθα.* Nihil variant libri, nisi quod δ', a Bekkero e Cod. C. receptum, in reliquis abest, quod tamen omittendum esse docere conabor. Laborare compositionem sententiarum senserunt Marklandus et Reiskius, qui illam particulam ignorabant: et ille quidem *τί οὖν θαυμαστὸν, εἰ τότε* legi volebat; hic, post *ἄλλως τε καὶ*, addendum esse *ὅπου* putabat. Adversatur Reiskii opinioni Foertschius Comm. Crit. p. 31, ubi demonstrat *ἄλλως τε καὶ* dici quoque non sequente coniunctione aut participio, et esse tum *praetereaque etiam.* Non assentior. Ubicumque illa formula ponitur, semper indicio est, non simpliciter addi quodcumque, sed novam et praecipuam quamdam sententiae modo traditae rationem reddi; nec quicquam attinet, quam formam aut syntaxin praecedens oratio huic formulae imponat, sive ut coniunctio cum verbo finito sequatur, sive participium, sive meram nominis appositionem, sive adverbium; quorum omnium exempla suppeditabit Stephaniani Thesauri novissima editio Parisina. Sed frustra

quaeras exemplum verbi finiti, sine coniunctione, additi huic formulae: et imperite apponitur e Platone Theaet. p. 184. A, ἄλλως τε καὶ — ἀνάξι' ἂν πάθοι· siquidem iungenda sunt, ἄλλως τε καὶ πλήθει ἀμηχάνων, (quomodo corrigendum vulg. ἀμήχανον) eritque sic mera appositio ad τῶν ἐπεισκωμαζόντων λόγων, propter quos veretur Socrates, ne ipsa quaestio (ἐπιστήμης πέρι, τί ποτ' ἐστὶν) ἄσκεπτον γένηται, *quum praesertim sint numero, quem excitamus, inexplicabiles:* in vulgata neque legitima verborum constructio, neque sana sententia est; quod quum sentiret Heindorfius, facilem medicinam neglexit. Xenophontis Cyrop. I, 6, 43. fin. ἄλλως τε, dudum, ut oportuit, correctum est in ἄλλος τε. Et longe diversissimum esse ἄλλως τε, quod novam sententiam inchoat, ut apud Latinos *iam*, et citatur ex Euripid. Ion. 620. Matth., vix opus est monere. Sed, ut ad Lysiae locum redeamus, neque novam primariam sententiam inchoat illa formula: quid enim hoc ad reum excusandum attinebat, agrum illum per triennium vendi non potuisse? neque, uti nunc ista leguntur, rationem reddunt praecipuam praecedentium; id quod tamen nativa vis formulae postulat. Modo demonstrare aggrediebatur orator, quod ante fuisset, quam ipse agrum possedisset, nihil ad se pertinere;

igitur, etiamsi multae oleae sacrae exstitissent, fieri posse ut in bello, quum multa vastarentur, excisae essent. Huius suspicionis nunc rationem hoc argumento confirmat, ut dicat, »in »primisque in hoc agro, qui per triennium, »quum publicatus esset, non venditus iacuerit, mi»randum non esse, si oleae excisae essent." Haec, ut suspicor, sic enunciavit Lysias: *ἄλλως τε καὶ ὑπὲρ τούτου τοῦ χωρίου, ὃ ἐν τῷ πολέμῳ δημευθὲν ἄπρατον ὂν πλείω ἢ τρία ἔτη, οὐ θαυμαςὸν εἰ τότε τὰς μορίας ἐξεκόπτετο κ. τ. λ.* Dixerat modo, nullo iure se poenas daturum eorum quae publice civitati accidissent (*τῇ πόλει·*) in qua structura hanc rationis redditionem continuat, *ἄλλως τε καὶ ὑπὲρ τούτου τοῦ χωρίου*, i.e. multoque minus poenas me dare aequum est propter hunc agrum.

Ibid. § 11. (p. 271. fin. R.) *Καίτοι πῶς ἂν τις φανερῶς ἐξελέγξειε ψευδόμενον τὸν κατήγορον;* Senserunt Viri Docti aliquid deesse ad sententiam explendam: quapropter *φανερῶς* in Comparativum mutari voluerunt. Verum ipsum exemplum, quod afferunt ex Orat. XXV, indicat sic potius dicendum esse, excidisse post haec formulam, *εἰ μὴ διὰ τούτου.*

Ibid. § 14. (p. 273 sq. R.) Iudices, inquit, considerare oportet in crimine iudicando, quale lucrum sperare potuisset ipse, si oleam excidisset:

neque enim libidine, sed commodo in istiusmodi rebus homines moveri: atqui nihil demonstrare posse actorem facinus illud expedivisse reo, aut ipsum ignarum fuisse quae sic discrimina aditurus esset. Tum hoc sequitur: *πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας ἀποφήναιμι· ὃς πρῶτον μὲν μεθ' ἡμέραν ἐξέκοπτον τὸν σηκόν, κ. τ. λ.* Offenderunt in his, haud iniuria, Reiskius, et Dobreus l. l. p. 206. Reiskius sic corrigere suadet, ut proxime antecedentia huc trahantur, atque ita legantur, *ἐγὼ γάρ, εἴ τι τούτων ἔπραττον, πολλὰς κ. τ. λ.* Dobreus lacunosum esse locum suspicatur. Uterque in progressu, ut Stoici loquuntur, fuit, verum ipsum neuter, ut mihi quidem videtur, attigit. Quum enim in iis, quae ab actore non posse demonstrari dixerat, hoc postremo loco memoret, *οὐδ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κινδύνων*, necesse est ut his praesertim reliqua oratio adversetur. Igitur, quum verissime senserit Reiskius illa verba *πολλὰς ἄν*, formam quod attinet, melius apodosi quam protasi convenire, necessario priora cum his coniungenda esse arbitror. Sed quid est *ζημίας ἀποφαίνειν ἐμαυτῷ*, aut quid *γενόμεναι ζημίαι?* Locum sic refingendum esse arbitror: — *παρ' ὑμῖν κινδύνων. Ἐγὼ δέ, εἴ τι τούτων ἔπραττον, πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας εὑρόμενος φαινοίμην·* i. e. *Ego contra*

(tantum abest ut lateret me quae me a vobis discrimina manerent) *si quid istorum facerem, multas et graves mihi ipsum comparasse poenas viderer.*

Ibid. § 15 sqq. (p. 274 sqq. R.) Omnia hic turbata sunt. Necessario, post illa quae modo tractavimus, sequitur enumeratio omnium eorum, quae, si vere commisisset facinus, metuenda reo fuissent: ὃς πρῶτον μὲν μεθ' ἡμέραν ἐξέκοπτον τὸν σηκόν, cuius statim refutatio sequitur, »tam»quam si non necesse esset omnibus incognitum »esse, sed omnes Athenienses scire." Reliquorum haec est interpretatio. »Et, si turpe tantum »negotium esset, fortasse aliquis praetereuntium »non curasset: nunc autem non turpitudinis, sed »gravissimi incommodi periculum adibam. Quidni »autem miserrimus essem omnium hominum, si »famulos meos non amplius servos habiturus es»sem, sed dominos reliquae vitae, quippe talis »facinoris conscios? adeo ut, vel si gravissime »in me delinquerent, poenas ab iis sumere non »mihi liceret: bene enim novissem penes ipsos »esse et ut me ulciscerentur, et ut ipsi, re indi»cata, liberi fierent. Praeterea autem, si vel ani»mum inducere possem nihil ut eos curarem, quo »modo ausus essem, quum tot conduxissent (agrum), »omnesque conscii fuissent, amovere truncum,

»exiguo lucro proposito, nullaque praescriptione »periculi, quum omnium qui coluissent agrum pari»ter interesset salvum esse truncum, ut, si quis eos »accusaret, possent referre cui tradidissent: nunc »autem et me absolvere videntur, et se ipsos, si »mentiuntur, culpae socios constituere. Sin autem »haec quoque comparavissem, quomodo potuissem »omnibus persuadere praetereuntibus aut vicinis, »qui non tantum ea de se invicem norunt, quae »videre omnibus licet, sed de iis etiam quae »celamus, ut nemo sciat, resciscunt." Confusa esse omnia apparet, neque eo modo absoluta, quo fuerant instituta. Instituerat autem ea memorare, propter quae incredibile esset, cuius a Nicomacho arguebatur: et in iis recensendis ordinem secutum esse defensorem, distinctis argumentis, magis est probabile, quam talia locutum esse quae nullo vinculo cohaererent. Igitur sic mihi videtur et disponendus, et supplendus, et corrigendus esse locus. *Ὃς πρῶτον μὲν μεθ' ἡμέραν ἐξέκοπτον τὸν σηκόν· ὥσπερ οὐ πάντας λαθεῖν δέον, ἀλλὰ πάντας Ἀθηναίους εἰδέναι. Εἶτα δι' οἰκετῶν ἔπραττον· πῶς δ' οὐκ ἂν ἦν ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων, εἰ τοὺς ἐμαυτοῦ θεράποντας μηκέτι δούλους ἔμελλον ἕξειν, ἀλλὰ δεσπότας τὸν λοιπὸν βίον, τοιοῦτον ἔργον συνειδότας; ὥςε εἰ καὶ τὰ μέγιςα εἰς ἐμὲ ἐξημάρτανον,*

οὐκ ἂν οἷόν τε ἦν δίκην με παρ᾽ αὐτῶν λαμβάνειν· εὖ γὰρ ἂν εἰδείην ὅτι ἐπ᾽ ἐκείνοις ἦν καὶ ἐμὲ τιμωρήσασθαι καὶ αὐτοῖς μηνύσασιν ἐλευθέροις γενέσθαι. Ἔτι τοίνυν, εἰ τῶν οἰκετῶν παρέςη μοι μηδὲν φροντίζειν, πῶς ἂν ἐτόλμησα τοσούτων μεμισθωμένων, καὶ ἁπάντων συνειδότων, ἀφανίσαι τὸν σηκὸν βραχέος μὲν κέρδους ἕνεκα, προθεσμίας δὲ οὐδεμιᾶς οὔσης τῷ κινδύνῳ; Καὶ τοῖς εἰργασμένοις δὲ ἅπασι τὸ χωρίον ὁμοίως προσῆκεν εἶναι σῶον τὸν σηκόν, ἵν᾽, εἴ τις αὐτοὺς ᾐτιᾶτο, εἶχον ἀνενεγκεῖν ὅτῳ παρέδοσαν· νῦν δὲ καὶ ἐμὲ ἀπολύσαντες φαίνονται, καὶ σφᾶς αὐτοὺς, εἴπερ ψεύδονται, μετόχους τῆς αἰτίας καθιςάντες. Εἰ τοίνυν καὶ ταῦτα παρεσκευασάμην, πῶς ἂν οἷός τ᾽ ἦν πάντας πεῖσαι τοὺς παριόντας ἢ τοὺς γείτονας, οἳ οὐ μόνον ἀλλήλων ταῦτ᾽ ἴσασιν ἃ πᾶσιν ὁρᾶν ἔξεςιν, ἀλλὰ καὶ περὶ ὧν ἀποκρυπτόμεθα μηδένα εἰδέναι καὶ περὶ ἐκείνων πυνθάνονται· καὶ εἰ μὲν αἰσχρὸν ἦν μόνον τὸ πρᾶγμα, ἴσως ἄν τις τῶν παριόντων ἠμέλησε· νῦν δὲ οὐ περὶ αἰσχύνης, ἀλλὰ τῆς μεγίςης ζημίας ἐκινδύνευον. Ἐμοὶ τοίνυν κ. τ. λ. Et hoc modo ordine recenset omnia, quae se vereri oportuisse dicit, si facere voluisset cuius arguitur. Primum, ne luce faceret: tum, ne per servos (conf. § 19:) tertio, propter eos qui agrum conductum habuissent: quarto, propter eos qui coluissent agrum: quinto, propter praetereuntes ac

vicinos: singulisque additur, quare negligere ista stolidum futurum fuisset.

Ibid. § 19. (p. 277. R.) De vicinis illis et praetereuntibus loquens haec obiicit Nicomacho: *οὓς ἐχρῆν τοῦτον παρασχέσθαι μάρτυρας, καὶ μὴ μόνον οὕτω τολμηρὰς κατηγορίας ποιεῖσθαι· ὅς φησιν —*. Reliqua illa minus commode in novam sententiam coniiciuntur. Corrigendum puto, *ποιεῖσθαι, αἷς φησίν —*.

Ibid. § 22. (p. 279. R.) Si, inquit, o Nicomache, in re praesenti praetereuntes testes advocasses, et rem denunciavisses, nullam mihi reliquisses defensionem: sed nihil horum fecisti, et nunc tua oratione perdere me putas, insimulasque me quasi propter meas opes nemo tibi testis velit esse: *καίτοι εἰ φήσας μ' ἰδεῖν τὴν μορίαν ἀφανίζοντα τοὺς ἐννέα ἄρχοντας ἐπήγαγες, ἢ ἄλλους τινας τῶν ἐξ 'Αρείου πάγου, οὐκ ἂν ἑτέρων ἔδει σοι μαρτύρων.* Descripsi locum ut nunc edi solet ex Reiskii coniectura, quam suo marte receperat ipse, *φήσας μ' ἰδεῖν*, pro eo quod libri habent, vitiose sane, *φὴς μὴ δεῖν*. Neque tamen, si qua est huius coniecturae laus, ea Reiskio debetur, siquidem, et aliquanto melius Graece, praecesserant Scaliger et Marklandus, quorum ille, *εἰ φὰς μ' ἰδεῖν*, hic, *εἰ ὅτ' ἔφης μ' ἰδεῖν —*. Sed duo sunt quae Reiskio obsistunt. Primum, de quo

Dobreum quoque video dubitasse, φήσας vere Atticum non est: nam usurpatur Aor. 1 apud Atticos non nisi *affirmandi* sensu, (ut Demosthenes Fals. Legat. p. 394. init. R.) ad quaestionem aut ad interrogationem; quod ab hoc loco alienum est. Sed ne si *dicendi* quidem significatione accepit Reiskius, probari ullo modo potest. Non enim *dicere* oportebat Nicomachum, sed *denunciare*, *deferre*, quod vidisset, aut omnino quod accusaret. Hinc incidi in suspicionem scribere potuisse Lysiam, εἰ φήνας με δὴ τὴν μορίαν ἀφανίζοντα, i. e. si quum detulisses actionem in qua accusares me quod oleam everterem. Quod si probatur, confirmabitur coniectura Heffteri, qui, De Re Iudic. Athen. p. 188 sq., φάσιν in hoc quoque crimine oleae sacrae excisae usu venisse putat, idque probatur Meiero De Lit. Att. p. 251. Praesens quidem, in quo haec oratio versatur, iudicium, ex ea actione oritur, quae ἀπογραφὴ appellabatur: sed in flagranti quae institueretur delatio puto φάσιν vocatam fuisse.

Ibid. § 30. (p. 285. R.) Modo dixerat, permirum nec tolerandum esse, si, quum Areopagitae, quibus perpetua cura olearum mandata esset, numquam se in illo genere delinquentem deprehendissent, Nicomachus, qui neque prope habitaret, neque curator delectus esset, neque

per aetatem scire posset, deferret se oleam evertisse. *Ἐγὼ τοίνυν δέομαι ὑμῶν μὴ τοὺς τοιούτους λόγους πιςοτέρους ἡγήσασθαι τῶν ἔργων, μηδὲ περὶ ὧν αὐτοὶ σύνιςε, ταῦτ' ἀνασχέσθαι τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν λεγόντων.* Inserenda videtur negatio, *οὐ*, ante *σύνιςε*. Sic enim argumentatur (conf. § 25:) si quid deliquissem, vos, qui quovis mense inspicitis, scire necesse erat: atqui nullius delicti mihi conscii estis; igitur actoris, qui affirmat, oratio ferenda non est. Absurdum est si dicit, Areopagitas *περὶ τούτων συνειδέναι, ἃ οἱ ἐχθροὶ λέγουσι.* Et *ἔργα* nihil est, nisi *res et veritas*: de reliqua *πολιτείᾳ* post loquitur: sicuti § 34 fin. *ἔλεγχος τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν*, est, *quid fecissem aut non fecissem.*

Ibid. § 33. (p. 286. R.) *Καίτοι πάντες ἂν ὁμολογήσαιτε δικαιότερον εἶναι τοῖς μεγάλοις χρῆσθαι τεκμηρίοις περὶ τῶν μεγάλων.* Dobreus legendum censet *περὶ τῶν μικρῶν*, et sic interpretatur: *si in magnis talis fui, non credibile me ob tantillum lucri peccaturum.* Non assentior. *Περὶ τῶν μεγάλων*, est *περὶ τοιούτου κινδύνου, ἐν ᾧ περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίζομαι.*

Ibid. § 35. (p. 288. R.) Obtulerat defensor Nicomacho famulos suos torquendos: hic noluerat, *οὐδὲν φάσκων πιςὸν εἶναι τοῖς θεράπουσιν. Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ εἶναι, εἰ περὶ αὐτῶν μὲν οἱ βασανιζόμενοι*

κατηγοροῦσιν, εὖ εἰδότες ὅτι ἀποθανοῦνται· περὶ δὲ τῶν δεσποτῶν, οἷς πεφύκασι κακονούστατοι, μᾶλλον ἂν εἵλοντο ἀνέχεσθαι βασανιζόμενοι ἢ κατειπόντες ἀπηλλάχθαι τῶν παρόντων κακῶν; Parum referre haec Lysiacam vel perspicuitatem vel concinnitatem, nemo non agnoscit. E libris quidem nulla fere varietas affertur lectionis, nec nisi δοκεῖν Vindob. pro δοκεῖ, et καταλιπόντες O. pro κατειπόντες. In editis hoc interest, quod inde a Bekkero interrogandi signum in fine positum est, Reiskius plenam distinctionem servarat. Ceterum Viri Docti sic consultum esse loco laboranti putarunt, ut post δοκεῖ adderetur vel θαυμαστὸν, vel δεινὸν, vel ἀπεικὸς, vel παράλογον, vel (ut Dobreus p. 207) ἄτοπον, vel, ut Bremius, οὐδὲν πιστὸν intelligeretur ex antecedenti oratione. Et qui post δοκεῖ, *absurdum*, *mirum*, *incongruum* excidisse existimant, universae orationis hanc formam agnoscere videntur, in qua duae sententiae sic ex alia aptae sunt, ut, quum prior vera aut probanda sit, alteram non posse cum eadem simul veram aut probandam esse appareat: cuius formae modo exemplum erat (ut unum de innumerabilibus memorem) § 29. (p. 283. fin. R.), et illustravit hoc genus luculentissime, quem commendare soleo, **Madvigius** Emendatt. in Cicer. I. p. 24 sqq. In hac autem forma argumentandi servari solet, ut,

quod mirandum, aut non ferendum, aut absurdum esse dicatur, neque in prima sententia per se, neque in altera cernatur, sed in utriusque coniunctione: id quod nullo modo conspicitur in Lysiae loco, quem in manibus habemus. Quid enim? Sicuti volunt Viri Docti, hoc dicit: »absurdum, si servi quum torquentur se ipsos accusant, et in heri rebus malunt torqueri, quam »indicare." In quibus et neutrum per se absurdum est, et coniunctum utrumque et verum et probandum est. Aliquid diceret hoc modo: »absurdum est, in ipsorum rebus veritatem a servis, »quum torqueantur, nos exspectare, et in heri »rebus, cui pessime velle solent, in tormentis falsa »ab iisdem exspectare." Cogitare potuit tale quid orator, sed certe nunc exprimere noluit. Videtur mihi levissima mutatione locus ad sanam formam revocari posse: — *τοῖς θεράπουσιν· οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖ εἶναι, εἰ περὶ αὐτῶν — ἀποθανοῦνται· περὶ δὲ τῶν δεσποτῶν — κακονοΐςατοι, πῶς μᾶλλον ἂν κ. τ. λ.* i. e. »nec mihi videtur quidquam »servis credi posse, si in suis rebus torti edunt »quid, cet." Et postrema, quae recte in interrogandi forma ponuntur, quo absurdum indicetur, carere non possunt partic. *πῶς*, aut *τί*. *Κατηγορεῖν* eo sensu est Orat. I. De Caede Eratosth. § 20. (p. 23. R.) Postremo *οἱ* ante

prius βασανιζόμενοι. tollendum esse, recte monet Dobreus.

Ibid. § 42. (p. 293. R.) Ἀλλὰ γάρ, ὦ βουλή, ταῦτα μὲν ἐνθάδε οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν. Minutum est quod notabo, nec tamen negligendum. Revocandum, quod Steph. habebat, οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ λέγειν, i. e. bene scio ista hic memoranda non esse. Vetabant quippe Areopagitici iudicii mores quidquam ἔξω τοῦ πράγματος dici a litigantibus: instituerat autem modo miserabiliter sortem suam deplorare. In primis inopportune hoc argumento utitur Taylorus ad init. Orat. IX. Defens. Veterani Emer., quamquam recte tuetur ὅτι. Sed eadem correctio adhibenda aliis locis, ut Orat. X. in Theomnest. I. § 31. (p. 374. R.) Orat. XII. in Eratosth. § 37. (p. 408. R.) alia collocatio est ibid. § 61. (p. 424. R.) tum Orat. XXII. in Dardanarios § 22. (p. 727. R.) Et de οἶδ' ὅτι parenthetice posito notarunt Viri Docti, sicut F. A. Wolfius ad Leptineam p. 388. et Amersfoordtius, quamquam non omnino recte, ad Orat. De Symmoriis p. 178. 16. R.

XII.

Continuatio (Orat. VIII. De Obtrectationibus.)

Orationem hanc corruptissimam esse omnes pronunciant Viri Docti, quorum opiniones recenset Hoelscherus l. l. p. 70 sq. Addam, ne argumenti quidem pondere, aut sententiarum aliquo lumine commendabilem esse. Nihilominus, si minus operae pretium, sed tamen utile fore existimabam ingenium exercere in corruptelis indagandis, et, si fieri posset, hic illic emendandis.

§ 1. (p. 295 sqq. R.) Opportunum sibi tempus nunc esse dicit orator, ut ea dicat, de quibus dudum dicere voluit: nam et eos adesse, quos accuset, et eos, coram quibus eos cupiat per-

stringere, de quorum iniuriis queratur. *Καίτοι πολλῷ πλείων ἐςὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας· τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, εἰ τοῖς ἀνεπιτηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι (τὴν γὰρ ἀρχὴν οὐδ' ἂν ἐπεχείρουν ἐξαμαρτάνειν εἰς ἐμέ), τοῖς δὲ βουλοίμην ἂν δόξαι μηδὲν ἀδικῶν τούτους ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερον.* Offensioni esse ista, *πρὸς τοὺς παρόντας*, non indiget admonitione: nam utrique aderant, ut initio dicitur: et, quum necessario intelligendi sint ii, coram quibus haec pronunciat orator, (quod sequentia evincunt) desideratur, quo in verbis ipsis designetur utros intelligat. Huic difficultati Emperius l. l. p. 17 sic occurri posse putat, ut dicat oratorem se ad eos convertisse, quos accusaret, et sic necessario *τοὺς παρόντας* alteros intelligendos esse. Non intercedo quo minus hoc quisquam probet: mihi tamen videtur vel *τοὺς ἐμοῦ ἕνεκα παρόντας*, vel simile quid requiri. Quae statim sequuntur sic corrigit Emperius: *τοὺς μὲν γὰρ παρ' οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν.* Ingeniose; nisi quod *παρ' οὐδὲν τιμᾶν* in boni cuiusdam contemtione dici solet, igitur h. l. minus aptum est. Excogitavi, *τοῖς μὲν γὰρ οὐδέν τι οἶμαι μελήσει·* (nam ne Infinitivo quidem opus est:) i. e. »non curabunt, ut opinor."

Ibid. § 4. (p. 298 sq. R.) Dixerat modo, nihil a se in istos, quos accusaret, profectum

esse de quo queri possent. Quare igitur, inquit, partim verbis, partim factis mihi nocere conamini, atque apud eos me calumniari, quos apud me ipsum calumniamini? *Καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥςε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν.* Nil mirum ne haec quidem cuiquam probari potuisse: igitur alius aliud excogitavit, novissime (neque enim reliquorum coniecturas refutare libet,) Emperius, *καίτοι οὗτος, ὃν ἐνοχλεῖν φεσθε, περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοὶ κατεῖπεν.* Nimirum statuit vir praestantissimus, sicut et Reiskius, et alii, sermonem esse de uno, qui istas calumnias ad actorem detulisset, de quo § 8. fin. et § 9. diceretur. Sed primum isto loco apte unius hominis mentio fit, et satis verba indicant ante fieri non potuisse. Tum, apud quos isti calumniati essent, modo plurali numero significaverat, et recte sic progredi poterat: hoc enim universe indicare eum necesse est, audivisse se ab illis. Contra necesse est ut utrique rei respondeat, et iis quae isti apud illos de se, et iis quae apud se de illis calumniati erant: haec enim modo memoraverat. Quare sic legendum esse coniicio: *καίτοι οὐ τούτοις ἐνοχλῶ, οἳ περὶ πλείονος ἐποιήσαντο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι μᾶλλον καὶ ἐμοὶ κατεῖπον, ἃ δ' ἐλέγετε πάντα μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι, καὶ γὰρ*

ἀκούων ἠχθόμην· οὐδ' αὖ ὑμῖν ἐπικαλῶ, ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταῦτα· δόξαιμι γὰρ ἂν ἀπολύειν τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἴπερ ὑμῖν ταὐτὰ λέγοιμι ὑπὲρ ἐμαυτοῦ. Totius igitur loci hic sensus est. »Quid vos nos ca»lumniamini apud hos, et hos apud nos? Quam»quam neque his molestus esse volo, (commemo»randis vestris calumniis apud me) qui maiorem »mei rationem habere videri voluerunt mihique »vestra detulerunt; (quae autem dicebatis, non »facile omnia memorem, quippe etiam audiens »aegre ferebam:) neque rursus vos insector quod »ista contra me dixeritis: viderer enim sic culpa »vos liberare, si quidem eadem, quae vos, pro »me in vos retorquerem." Nunc apte subiicitur, *ἃ δὲ ὑβρίζειν οἰόμενοι ἐμὲ καταγελάσους ὑμᾶς αὐτοὺς ἐποιεῖτε, ταῦτα λέξω.*

Ibid. § 8. (p. 303 sq. R.) *Καὶ ταῦτα δ', ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἔλεγεν οὓς ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν· κἀνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι, εἰ περιήλθετε πάντες ὑμῶν αὐτῶν κατηγοροῦντες ὅτι πονηροῖς ἑκόντες ὁμιλεῖτε.* Manifesto corrupta. Dobreus sic legendum coniicit: *καὶ ταῦτ' οἶδ' ὅτι πρὸς τούτους τελευταίους ἐλέγετε·* i. e. *qui scirem? nam vos ista dicebatis cuivis potius, quam alicui unde scirem.* Quae suspicio ideo probari non potest, quoniam satis e proximis intelligitur talia istos non commemorasse: et, quod modo vidimus,

ipsas calumnias non proditurus erat orator. Sensit hoc, credo, Emperius, qui, inserta negatione, sic coniecit: *καὶ ταῦτα δ' οὐχὶ πρὸς τοὺς ἐπιτηδείους ἐλέγετε, — κἂν ταῦτα σόφισμα καλὸν εἶναι —*, in quo postremo Infinitivo *ᾤεσθε* cogitando supplendum esse: (hunc Dobreus mutabat in *ἡγούμενοι.*) Quae primum mirifice languent per se: tum non respondent postrema primis: nam, si talia non locuti sunt cum oratoris familiaribus, non sane putaverunt bellum hoc artificium esse. Suspicor legendum esse: *καὶ τοιαῦτα* (nempe, qualia ipse modo memoraverat) *οὐδὲ πρὸς τούτους διαβάλλοντες ἐλέγετε, οὓς ᾤεσθε ἀπαγγέλλειν ἡμῖν· ἐνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι ἡγούμενοι, εἰ κ. τ. λ.* ut sensus sit; »maluistis, egregio scilicet »artificio, circumire, et vos ipsos stultitiae accu»sare, quod volentes improbi cuiusdam consue»tudine uteremini, quam diserte talia de me me»memorare, quae vestrum mei odium excusare pos»sent." Mutandum ideo etiam *πονηροῖς*, in *πονηρῷ*.

Magis etiam corrupta haec sunt, § 10. (p. 306. R.) *Πρῶτον μὲν ἅπαντα δι' ὑμῶν πράξαντά με περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου. προσῆγε μαχόμενον κάμνοντα τὸν ἵππον. κ. τ. λ.* In his corrigendis Franzius, Emperius et Dobreus periculum fecerunt, quorum inventis per me utantur intelligentes. Nihilominus, quoniam in tam desperata oratione maior ingenio

libertas concedi solet, dicam quid mihi in mentem venerit. Dixerat modo, quae isti calumniati essent, delata esse ad se ab uno quodam, quem nominare non vult. Sed, inquit, delata pro veris habui: et si diffidissem, arguere studuissem: *νῦν δέ· ξυμβαίνει γάρ καὶ ταῦτα τοῖς πρὸ τοῦ, καὶ ἐμοὶ σημεῖα ταῦτα μὲν ἐκείνων ἐςὶν, ἐκεῖνα δὲ τούτων ἱκανά.* i. e. »nunc contra vera ista esse agnovi, »quippe conveniunt cum priori vestra agendi ra»tione, eaque, quae nunc audivi, explicant mihi »illa priora, sicut haec indicio sunt quid de prae»sentibus iudicandum sit." Quae ut confirmet, excitat exemplum ex iis, quae pridem expertus erat: perpetuo enim abstinet ab illis calumniis revocandis, de quibus nunc maxime conquerebatur. Quare sic, ut suspicor, continuat ista: *πρῶτον μὲν ἀπαντᾷ τὰ δι' ὑμῶν πραχθέντα περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου.* (loquitur de re inter ipsos cognita,) *προσήγετε ἐγγυώμενοι κάμνοντα τὸν ἵππον, ὃν ἀνάγειν κ. τ. λ.* Unde conficimus tale fuisse negotium: actor 12 minas ut Polycli (uni, ut puto, de illis falsis amicis) mutuo daret, pignoris loco stipulatus erat huius equum, (quare hoc loco utitur Boeckhius Oecon. Civ. I. p. 81, ubi de equorum pretio disputat) quem reliqui omnes, debiti fideiussores, ad actorem deducunt: qui ut equum morbo laborare animadvertit, restituendi

capit consilium, nisi ita ut simul mutuum repetat, sed tamen ut firmius auferat pignus: ab hoc proposito avertit eum Diodorus, affirmans, si quid equo accideret, nihilominus soluturum esse debitum Polyclem: mortuo equo (igitur sublato debiti pignore) tandem idem ille Diodorus una cum reliquis adversatur actori, neque iustum esse dicit eum auferre pecuniam. In omni hoc negotio hoc notandum, nihil lege aut syngrapha actum esse, sed ut inter amicos bona fide gesta omnia.

Sed ut sunt illa satis, ut spero, sic perspicua, in novas mox incidimus salebras: fato quippe destinatum videtur, ut ne pedem quidem in hac oratiuncula proferre liceat sine offensione. Statim enim haec subiiciuntur: § 11. (p. 308. R.) *Καίτοι γε ἐφ᾽ ὧν γε αὐτῶν κατηγόρουν. εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον.* Desero rursus Emperium, quamvis acute coniicientem: ipse sic suspicor scribi potuisse: *καίτοι γε ὀφείλοντά γε αὐτὸν κατηγόρουν·* (i. e. Polyclem debitorem esse, confitebantur:) *οὐκ ἄρα μετὰ τούτων — εἰπεῖν*, i. e. »non igitur mihi laeso, horum testimonio si munitus »essem, nihil iusti relinquebatur ad dicendum, *εἴ που* »*καλῶς συνέπραττον*, si nimirum recte adiuvarent."

Re ad arbitros deducta, § 12. (p. 309. R.) *ὁριζόμενος ὁ Πολυκλῆς εἶπε —*. Pro *ὁριζόμενος*, Mark-

landus excogitaverat ὀργιζόμενος, quod prorsus alienum est. Lego ἰσχυριζόμενος, *fidenter affirmans.*

Ibid. § 13. (p. 310 sq. R.) ὅτι φέρε γὰρ ἤδη ποτε ἐκεῖνος, ὅτι Κλειτοδίκου δεηθεὶς ἐκλέγειν οὐκ ἔτυχον. Corruptissimam lectionem reliquit Foertschius. Primum Reiskius iam rectissime ὅτι mutaverat in ἔτι, praecedentibusque subiunxerat, τί με δεῖ φανερώτερον ἐξελέγχειν ἔτι. Tum aptissimum est, quod ex Cod. C. affert Bekkerus, ᾔδει. Igitur, interrogandi signo post ἔτυχον posito, et ἐκλέγειν in ἐπιλέγειν mutato, sic interpretatur Emperius; »Cedo, poteratne ille scire, Clito»dicum a me rogatum, ut epilogum diceret, re»cusasse? Neque enim ipse, quum ea acta sunt, »adfuit. Apparet igitur vos talia cum eo locutos »esse." In qua interpretatione, si ἐκεῖνος retulit ad istum hominem, de quo § 8 et 9, ex quo calumnias, de quibus nunc agebatur, cognovisset, falli virum praestantissimum non dubito affirmare. Ex iis, quae supra de § 4 dixi, et ex aliis locis, satis iam intellectum est, actorem illas calumnias nunc revocare noluisse, sed, ut § 9 fin. indicat, hoc tantum disputare voluisse, quae ante expertus esset in eodem perfidiae genere satis sibi argumento fuisse, ut, quae nunc ad ipsum delata essent, pro veris haberet. Igitur exempli causa omnia illa proponit, quae cum illa oppigneratione

equi, et cum lite, quam ei Polycles excitaverat, coniuncta fuerant. Hinc, omissis ipsis calumniis, hoc tantum de praesenti sive iudicio, sive arbitrio memorat, ad se delatum esse istos instituisse avertere eos, qui nunc pro ipso dicturi essent: (§ 12. *ὁ γὰρ αὐτὸς ἀπήγγειλεν ὡς τοὺς ὑπὲρ ἐμοῦ μέλλοντας λέγειν ἀποτρέπειν φάσκοιτε, τοὺς δέ τινας ἤδη κωλύσαιτε.*) Igitur ne de hoc quidem dubitare eum sinebant ea, quae prius in illa cum Polycle controversia acciderant: quare addit: *καὶ ταῦτα τί με δεῖ φανερώτερον ἐξελέγχειν ἔτι;* »(nam simile quid expertus sum tunc:") *φέρε γάρ, πόθεν ᾔδει* (ut verissime coniecit Dobreus l. l. p. 208) *ποτὲ ἐκεῖνος, ὅτι — ἔτυχον;* In quibus *ἐκεῖνος* est Polycles, hoc argumento affirmans, actorem ne suis quidem familiaribus causam potuisse probare suam (*ὅτι καὶ τοῖς ἐμοῖς ἐπιτηδείοις ἀδικεῖν δοκοίην*, § 12.) Sequitur, quo firmatur illa Dobrei suspicio, *οὐ γὰρ δὴ παρῆν τούτοις·* quae distinguenda esse apparet a proxime sequentibus, quae sic eduntur, *ἐπεὶ κέρδος ἦν αὐτῷ διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς οὕτω προθύμως, ὥςε σπουδάσαι πρὸς τοὺς ἐμοὺς ἀναγκαίους πλάσασθαι ταῦτα.* In his (ut hoc obiter moneam) quum *αὐτὸς* idem sit atque *ἐκεῖνος* in antecedentibus, evincitur iam, non de delatore, sed de Polycle sermonem esse. Sed illud *ἐπεὶ* offendit Emperium p. 21,

quî substitui iubet ἤ τί, signo interrogandi posito post ταῦτα. Suspicor otiosam hanc esse coniecturam, aut potius a consilio dicentis alienam. Nam Polycli certe κέρδος erat tam impudenter mentiri: et ἐπεὶ in elliptica forma respondendi, per quam h. l. verbi causa suppressum est, »a nemine au»divit, sed finxit ipse," accipi potest pro, *nimirum*, *scilicet*. Restat ἐκλέγειν, quod Dobreus interpretatur, *vectigal exigere*, quasi munus hoc Clitodicus petenti concedere potuisset. Sane et vocab. ipsum cognitum est hoc sensu, et res per se non inaudita: conf. Boeckhius Oecon. Civ. I. p. 359 fin. Nihilominus Emperius ferri non posse putat ἐκλέγειν, mutandumque censet in ἐπιλέγειν, ut sit *epilogum dicere*: quod quamvis ingeniose excogitatum, ideo probari posse dubito, quod ἐπιλέγειν hoc sensu nusquam apud Oratores deprehenditur: quamquam ἐπιλεγόμενα quodammodo sic usurpari videtur ab Aristotele Rhetor. II, 20, 9. Praeterea *epilogi* ratio magis forensibus conveniebat causis, non huic apud familiares disceptationi: et si quid in eo genere a Clitodico postulavisset orator, συνειπεῖν ut vellet potius petivisset.

Si non plane emersimus e vadis et scopulis, tantum certe fecimus, quod alii, ut marte nostro luderemus in verbis propemodum desperatis: vera enim aut certa esse nostra, vix sperare nedum praestare licet.

XIIII.

Continuatio (Oratio IX. Defensio Veterani Emeriti.)

Haud fere minoribus, quamquam diversi generis, difficultatibus impedita est haec oratio, *ὑπὲρ τοῦ ϛρατιώτου* inscripta. Sed ordine de singulis videamus.

Exposuerunt hanc causam Heffterus Iudic. Athen. p. 418 sqq. Meierus De Lit. Att. p. 258 sq. Lelyveldius meus, De Infamia p. 228 sqq., ut hoc tantum satis constet, iudicium fuisse *ἀπογραφῆς*, in eum delatae, qui ex *ἐπιβολῇ* aerarii debitor haberetur.

Quum Polyaenus narravisset ea, quae sibi excidissent in magistratum, dicta fuisse apud Philiae mensam, *οἱ δέ*, inquit, *μετὰ Κτησικλέους τοῦ ἄρχοντος — παρὰ τὸν νόμον ζημιῶσαι ἠξίωσαν.* § 6. (p. 320 sqq. R.) In quibus mirum accidere debet Archontem appellari Ctesiclem, qui istam mulctam imposuerit. Primum credibile non est, si conviciis (*λοιδορίαις*) usus sit Polyaenus, quemquam alium proscidisse, praeter illum *στρατηγὸν* a quo ipse contumeliose habitus et in catalogum relatus esset (§ 4.) Tum, id quod non fugit Hoelscherum p. 74, Archon Ctesicles qui memoratur, fuit aliquot certe annis post Lysiam mortuum. Quapropter nihil restat, nisi ut verba *τοῦ ἄρχοντος* deleantur, profecta a sciolo interpolatore. Neque dubitandum est quin ipse quisque magistratus convicio laesus *ἐπιβολῆς* imponendae ex lege potestatem habuerit, non tantum Archontes aut Senatus, sed omnes omnino: cf. Aeschines Contr. Ctesiph. p. 420. R.: adeo ut Heffterus, qui de hac potestate disputat p. 415 sqq., minus recte ad Archontes restringere videatur, certe non nisi dubitanter latius proferre.

Contendit Polyaenus se *παρὰ τὸν νόμον* multatum fuisse: nam lex *διαῤῥήδην ἀγορεύει τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ λοιδοροῦντας ζημιοῦν*, § 9. (p. 325. R.) ego autem, inquit, non intravi *εἰς τὸ ἀρχεῖον.*

Meierus Lit. Att. p. 483. not. 22. suspicatur Polyaenum per calumniam confundere diversas leges, eam nempe, cuius memoriam servavit Plutarchus Solon. cap. 21. init., quae quodvis maledictum in quemcumque, si in templis, in tribunalibus, in curiis, in ludorum spectaculo editum esset, mulcta coërcebat, eamque quae apud Demosthenem commemoratur Mid. p. 524. fin. R., qui magistratum ἐστεφανωμένον κακῶς εἴπῃ, ἄτιμον esse. Quumque ex illa Demosthenis argumentatione satis commode efficiatur, non tantum convicia intelligi quae quis in sacro loco iecisset, sed universo tempore, per quod quis magistratu fungeretur, tamquam sacrosanctum habitum fuisse, nulla esse controversia potest, quin extra curiam quoque iactum convicium Polyaeni eadem lege teneretur. Sed non videtur Polyaeni κακηγορία exstitisse: quumque Praetor eius λοιδορίας non ipse praesens sensisset, sed ex delatione tantum cognovisset, potestate usus mulctam ei imposuit.

Quo facto, inquit § 6. (p. 323. R.), τὸ ἀργύριον πράξασθαι μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν, ἐξιούσης δὲ τῆς ἀρχῆς εἰς λεύκωμα τοῖς ταμίαις παρέδοσαν. Attigit haec verba Meierus l. l. p. 34 sq. not. 25: quumque aliunde constet ἐπιβολάς, ut omnes mulctas iudiciarias, quae publico aerario cederent, per Practores, iussu magistratuum, fuisse exactas, dubium esse

non potest quin *πράξασθαι* sit, *per Praetores exigere.* Reliquorum verborum sententia aperta est: sed non satis explicuerunt Viri Docti, qui fuerint isti *ταμίαι.* Universe non sane diligenter Schoemannus docet Antiqu. Iur. Publ. Graec. p. 242. not. 6: »indicari mulctam aut practori»bus (vitio operarum editum est *praetoribus*) aut »quaestoribus oportuisse, qui eam exigerent:" neque hoc confici ullo modo poterat vel ex Aeschine Timarch. p. 62. R., vel ex illis Lysiae verbis; multoque cautius Meierus, quem ipse laudat, loco a nobis modo indicato: sed negligentius etiam Wachsmuthius Antiquit. Hellen. II. 1. p. 142. init. et p. 149. not. 29. Occurrunt Quaestores *τῶν ϛρατηγῶν·* quos tum in illa pecuniae militaris administratione, qua Athenienses utebantur, fuisse verisimile est, tum haud obscuris indiciis cognoscere licet. Non certe concedendum est Boeckhio l. l. I. p. 195. fin. sq., Philocratem, apud Lysiam Contr. Philocr. § 3. (p. 828. fin. sq. R.) non nisi privatum Ergoclis fuisse quaestorem. Locum corruptum, quem priores Interpretes frustra corrigere studuerunt, novissimi Editores, Bekkerus et Foertschius, plane intactum reliquerunt, non dubito sic rescribere: *οὐ τῶν μὲν ὑμετέρων κλέπτην αὐτὸν ἐξήγαγε, τῶν δὲ αὑτοῦ χρημάτων ταμίαν ἐποίησε.* (sicuti de Timocrate Demosthenes p. 750.

Gn. R. πολλὰ τῶν ὑμετέρων κέκλοφε· conf. Lysias ipse Orat. XXV. Affect. Tyrann. § 19. et Orat. XXVIII. in Ergocl. § 3.) quorum verborum acumen prorsus perit, nisi accipimus publicum Praetorum Quaestorem fuisse Philocratem, sed, conspiratione cum Ergocle, e publico privatum factum esse istius quaestorem, publicae pecuniae *furem*. Quare Emperii p. 44 coniecturam, πωλήτην, acutam ceteroquin et propius ad elementorum ductus (πολιτῶν) accedentem, reiiciam, in promptu est. Dixit quidem Demosthenes πωλεῖν τὰ τῆς πόλεως πράγματα, eiusdemque generis alia, (vid. Index Reisk. v. πωλεῖν) sed omnia illa dicuntur ἐπὶ δωροδοκίᾳ, non in peculatu, de quo nunc agebatur apud Lysiam, quod manifestum est et ex hoc ipso iudicio, et ex Oratione contra Ergoclem ipsum in eadem causa. Praeterea τῶν ὑμετέρων πωλήτην dici Philocratem, nihil turpe continebat; idem enim verum officium erat eorum magistratuum, qui πωλῆται dicebantur. Sed ne Atticum quidem est τῶν ὑμετέρων πωλήτης, siquidem haec appellatio potestatis absoluta erat, neque umquam adiecto genitivo distinguitur ab aliis Poletis.

Sed redeamus ad Lysiae ταμίας· quos ideo non fuisse militares satis intelligitur, quoniam constat mulctas hasce in publicum civitatis aerarium rediisse. Sed, quum aliunde cognitum esset, in

nonnullis partem cessisse aerario Minervae in arce, quique eo nomine debitores essent inscribi solitos fuisse apud Quaestores Minervae, sicut reliqua exigerent Practores, mirifice abutitur hoc Lysiae loco Boeckhius l. l. I. p. 167. fin., ita ut definire intelligatur, hos Lysiae ταμίας fuisse Minervae, siquidem de his affirmat ea, quae in hac Oratione dici videntur § 7. (p. 324. R.) Sed neque id, quod affirmat vir egregius, verum est, ut postea demonstrabo, neque Quaestores Minervae ullo modo intelligi possunt, quoniam non eadem mulcta, quae per Practores potuisset exigi, mutato consilio Minervae Quaestoribus tradi potuit. Sed Lysiae ταμίας eosdem fuisse cum Apodectis, vix est quod dubitemus: siquidem eosdem Aristoteles Polit. VI, 5, 9, et ἀποδέκτας et ταμίας appellat, idemque apud Harpocrat. v. ἀποδέκται tradit, penes hos tabulas fuisse eorum, quae aerario deberentur: conf. Boeckhius I. p. 171. et quae disputavi Bibl. Crit. Nov. V. 2. p. 470 sqq. Eadem pagina summa quod Pollucem reprehendit Boeckhius, qui Practores ὑπηρέτας appellavisset, non cogitavit, opinor, fieri posse ut in animo habuerit Grammaticus locum Demosthenis Timocrat. p. 750. fin., ubi, ad exigendas εἰσφορὰς, Apodectas comitari dicuntur οἱ ὑπηρέται, quos ipsos Practores fuisse credibile est, quoniam Apodectae

certe ipsi tabulas eorum servabant, quae aerario deberentur, Practores autem, ut nomen ipsum declarat, non nisi exigendi officio fungebantur.

Ipsum illud, quod Praetores fecisse dicuntur exeunte magistratu, § 6. (γράψαντες εἰς λεύκωμα παρεδίδοσαν τοῖς ταμίαις,) satis perspicuum est quid sit: et ex sequentibus colligitur hos Quaestores (Apodectas) mulctam sic in tabulas relatam debuisse exigere, nempe per Practores, si vera sunt ea, quae modo disputavi. Erat haec igitur ἐγγραφὴ τῶν ϛρατηγῶν· eaque mihi in mentem revocat locum Pseudo-Demosthenis Aristogit. I. p. 778. R., quem perperam explicare Boeckhium l. l. I. p. 418 arbitror. Dicit eo loco orator, Aristogitonem esse ἀπεσχοινισμένον πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσεσι τριῶν δικαϛηρίων, ἐγγραφῇ θεσμοθετῶν, ἑτέρᾳ πρακτόρων κ. τ. λ. quae verba postrema ita interpretatur vir egregius, tamquam si unius tantum fuisset debiti inscriptio, quam primum Thesmothetae apud Practores, hi rursus in tabulis in acropoli fecissent. Adversatur, quod primum ἑτέρα πρακτόρων appellatur: tum, quum multis modis civili iure exclusum esse Aristogitonem demonstrare velit orator, ac trium tribunalium memoret condemnationes, aequum est ut duplici quoque nomine eum aerarii debitorem appellet: eoque fortasse hoc referendum est, quod p. 771. init.

ὀφείλων τῷ δημοσίῳ καὶ ἐγγεγραμμένος ἐν ἀκροπόλει dicitur; deque eodem dicit Dinarchus Aristogit. p. 83. fin. R. ὃν οἱ νόμοι πολλάκις ὑμῖν παραδεδώκασι τιμωρήσασθαι. Praeterea ἐγγραφή, ut ipsum ἐγγράφειν aut ἐπιγράφειν, quum non nisi eorum magistratuum esset, qui potestate utebantur, et tribunalibus praeerant, quumque de his dicatur παραδοῦναι τὰ ὀνόματα τοῖς πράκτορσι (Demosthenes Theocrin. p. 1327. fin. et p. 1337. fin. R.) item ἐγγράφειν τοῖς πράκτ., aut εἰς τοὺς πράκτ., vix probari potest ulla ἐγγραφὴ πρακτόρων, i. e. eorum ministrorum, qui a magistratu accipiebant quid a quoque exigere oporteret. Quod donec quis apte solverit, mendosam esse lectionem putabo, corrigendam fortasse in ἑτέρᾳ προέδρων, quorum item fuisse ἐγγραφὰς novimus ex Aeschine Timarch. p. 62. R. Et si vere statuimus Practores ministros fuisse Apodectarum (i. e. ταμιῶν), iam intelligitur rem eodem rediisse, utrum apud hos, an illos facerent inscriptionem magistratus qui eius rei potestatem haberent, neque dicendum esse, tamquam si diversum esset, aut apud Practores, aut apud Quaestores inscribi potuisse.

Sequuntur apud Lysiam haec: Quaestores, quum frustra mulctae remissionem persuadendo obtinere studuissent, ἄκυρον τὴν ζημίαν iudicasse. Sed tum in verbis videtur nonnihil corrigendum esse,

tum res illustratione indiget. Dicitur enim § 7. (p. 323. R.) Quaestores, qui inscriptionem accepissent, aliud quid intellexisse quam Praetores: *ἀνακαλεσάμενοι δὲ τοὺς παρόντας καὶ τὴν γραφὴν, ἐσκοποῦντο τῆς αἰτίας τὴν πρόφασιν. ἀκούσαντες δὲ τὸ γεγενημένον, ἐννοούμενοι οἷα πεπονθὼς ἦν, τὸ μὲν πρῶτον ἔπειθον αὐτοὺς ἀφεῖναι, διδάσκοντες ὡς οὐκ ἐπιεικὲς εἴη τῶν πολιτῶν τινὰς διὰ τὰς ἔχθρας ἀναγράφεσθαι, ἀποροῦντες δὲ μεταπεῖσαι αὐτοὺς, τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν.* Emperius p. 23, quum interpretaretur *citari iubentes praesentes*, merito illo participio *παρόντας* offensus est, neque ferendum existimabat *ἀνακαλεσάμενοι τὴν γραφήν*. Igitur emendare vult, *τοὺς παραδόντας τὴν γραφὴν*, intelligens, opinor, *quum revocassent eos qui inscriptionem sibi tradiderant*, i. e. ipsos Praetores: eamque coniecturam laudari vidi a Sintenisio in Ephemerid. Scient. Antiquit. (Zeitschr. für die Alterthums-Wissensch. a. 1835. n°. 65). Quaero, an Quaestores potestatem habuerint eam, ut citarent Praetores? Non puto. Tum, quid opus erat citare, quum ipsi Praetores praesentes traderent inscriptionem? Porro, quomodo potuerunt ex his cognoscere *οἷα πεπονθὼς ἦν* Polyaenus? quum isti sine dubio interrogati rem ita exposuerint, ut summo iure egisse viderentur. Haec minus reputa-

visse videtur Emperius. Et omnino necesse erat, si vellent Quaestores ἀκοῦσαι τὰ γεγενημένα, ut eos citarent, ad quos ea res pertineret. Obtinebimus hoc, credo, si corrigimus τοὺς προσήκοντας τῇ ἐγγραφῇ. Praeterea nihili est, et fere soloecum, quod dicitur διὰ τὰς ἔχθρας, mutandum in δι' ἰδίας ἔχθρας, eademque medicina adhibenda in fine huius Orationis: conf. Orat. XXXI. Contr. Philon. § 2. (p. 870. init. R.) et οἰκείας ἔχθρας, sine artic., Orat. XII. Contr. Eratosth. § 2. (p. 383. R.) delendusque artic. Orat. XIII. Contr. Agorat. § 44. (p. 470. med. R.)

Quod autem in ipsa re illustrari oportere dixi hoc est; utrum Quaestorum fuerit ea potestas, ut mulctam a magistratu impositam, et ad se delatam, ἄκυρον pronunciarent. Prudenter monet Heffterus l. l. p. 419, temere ex hoc Lysiae loco confici istiusmodi iurisdictionem habuisse Quaestores; viderique eos non nisi suo periculo egisse; tum ex eodem fortasse loco minus intellecto fluxisse Pollucis doctrinam, qui VIII, 97 doceat Quaestores potuisse ζημίαν ἀφελεῖν, εἰ ἀδίκως ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐπιβληθείη. Sed praeterea falsissime et hoc, et alia tribuit Pollux Quaestoribus τῆς θεοῦ. Grammatici tamen duplicem errorem perperam sequitur Boeckhius l. c. I. p. 167. fin. sq., tum p. 175, med., Demosthenem auctorem lau-

dans ita, ut necessario ad ea reiiciamur, quae in not. 16 posuerat: sed neque in Orat. Adv. Macart. p. 1074. fin. sq. (quo loco, post verba τῶν τῆς θεοῦ, inserendum est τὸ ἐπιδέκατον,) neque in illis locis Contr. Theocrinem, quos supra indicavi, neque in Aristogit. p. 778, quem modo tractavi, quidquam est quo illud demonstretur: (tertium errorem in eodem Pollucis loco, recte notavit vir egregius, ibid. p. 185. fin.) Miretur quis, quum talia defenderet, non excitavisse alia ex eodem loco Pollucis verba de Apodectis, iudicavisse hos de iis quae ἀμφισβητήσιμα essent in tributis et vectigalibus quae acciperent: quod confidenter retulit Boeckhius ibid. p. 171. fin.; ipse in dubium voco, non tantum quod nullo Aristotelis aut cuiusvis idonei scriptoris testimonio confirmatur, sed propter rationes ex ipsa disciplina rei publicae petitas. Scilicet sine exemplo est quidquam Athenis, quod a magistratu pro potestate pronunciatum esset, per quemquam alium, nisi per tribunal populare rescindi aut remitti iure potuisse: et caute prudenterque mihi videtur Meierus pronunciavisse, Lit. Att. p. 99. init., nihil minus quam verisimile esse Quaestorum ullam fuisse iurisdictionem. Et sane nisi nulla, iure quaesita, illa fuisset potestas, non dixisset defensor in hac causa de Praetoribus, ὡς οὔτε εὐθύνας ὑπέσχον, οὔτε εἰς δικαστήριον εἰσελ-

θόντες τὰ πραχθέντα ψήφῳ κύρια κατέστησαν, i. e. (ut mox adiicitur) *ὡς οὐκ ἐκύρωσαν ἐν δικαστηρίῳ τὴν ἐπιβολὴν τῶν ταμιῶν ἀφέντων·* potuisse enim hoc facere, perspicuum est ex oratoris verbis: at non potuissent, si penes Quaestores fuisset eorum sententiam rescindere. Quid igitur hi fecerunt? *ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν*, et remiserunt mulctam, i. e. quum inscripta esset, non exegerunt, nullamque eius rationem habuerunt, idque fecerunt non iure, sed suo periculo, quod his quoque verbis indicatur, *τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες·* ut licuerit eos, propter hunc abusum potestatis, in ius vocare. Nam, quod § 19. (p. 336. R.) dicuntur *κατὰ τοὺς νόμους καὶ κατὰ τὸ εἰκὸς πρᾶξαι*, calumniatur hic defensor, neque tamen aliud intelligit, nisi sensisse (*βουλεύσασθαι*) eos mulctam illam ex lege imponi non oportuisse.

Sed considerandus est locus in primis turbatus et corruptus § 11 sq. (p. 326 sqq. R.) Ipsi, inquit, Praetores conscii sibi sunt iniuste se egisse: neque enim responderunt ad meam querelam, neque re in tribunal deducta sic ratam suam sententiam fieri curarunt. Quae ipsa operae pretium est paucis attingere, antequam salebras ingrediamur. Nam ista, *οὔτε εὐθύνας ὑπέσχον*, sic videntur accipienda, prouti enunciavi. Mulctato enim per magistratum, quum hic ex lege egisse vide-

batur, non provocatio ad tribunal (ἔφεσις,) sed nihil nisi querela apud ipsum magistratum relinquebatur, si forte, rationibus permotus, vellet ἀφεῖναι τὴν ζημίαν· aut ut magistratus ipse causam deduceret ad tribunal. Hoc postremum tamen ut expugnaret mulctatus, nulla actione consequi poterat: si potuisset, fecisset sane Polyaenus, nec dixisset ipsos Praetores facere noluisse. In quam sententiam moderanda est opinio Schoemanni Lit. Attic. p. 769, et Platneri, quem citat not. 8. Aliquanto inconsideratius, ut hoc obiter attingam, in ea annotatione commemorantur loci e Lysia, quibus addi potuisset Orat. XXX. in Nicomach. § 3. (p. 840. init. R.) Nam quod Orat XV. in Alcib. II. § 5. (p. 565. R.) affertur, pertinet ille locus ad imperium militare, non ad rationes civiles: in Orat. VI. in Andocid. § 21: (p. 219. R.) quod Andocides traditur ἐξ ἐπιβολῆς εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, non fuit sane ex appellatione, aut ex querela, sed ideo, quod de gravioribus mulctis, quas Senatus verbi causa imponendas iudicaret, necessario ad tribunal referendum erat: conf. Meierus Lit. Att. p. 34. not. 24, quem ceteroquin socium habet Schoemannus perverse interpretandi Lysiae, ibid. p. 35: nam ne postremus quidem locus, in Nicomachum, qui Meierum non fugit, ad querelam mulctati referendus est, sed ad graviorem

mulctam, quam oportebat magistratus in tribunal deducere. Tum hoc notandum, nullo modo dubitare oportuisse Schoemannum, quin iidem magistratus, qui mulctam pronunciavissent, tribunali praefuerint in quo eius causae disceptatio esset instituenda.

Nunc videamus ea, quae statim subiiciuntur. *Εἰ δ' οὖν ἐζημίωσαν μὲν οἵδε προσηκόντως, ἐκύρωσαν δ' ἐν ὑμῖν τὴν ἐπιβολὴν τῶν ταμιῶν ἀφέντων, εἰκότως ἂν τοῦ ἐγκλήματος ἀπηλλαγμένοι εἶεν. εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἀφεῖναι, ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον· εἰ δ' ἔξεςι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δὲ αὐτοῖς ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσιν, εἴ τι ἠδικήκασι, τῆς προσηκούσης ῥαδίως δίκης τεύξονται.* Omnibus Interpretibus haec offensioni fuerunt, Dobreo quoque p. 209, et novissime Emperio p. 23 sqq., cuius omnem argumentationem persequi longum est, satisque erit, spero, explorare eam formam, quam e coniectura loco induit. Est autem haec: — *ἐπιβολὴν, τῶν ταμιῶν ἀφέντων εἰκότως ἂν τοῦ ἐγκλήματος ἀπηλλαγμένος εἴην. εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἀφεῖναι, οὐδ' ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον· εἰ δ' ἔξεςι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δ' εὐθύνας ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσιν, εἴ τι ἠδικήκασι τῆς προσηκούσης δίκης τεύξονται.* Igitur hanc sententiam esse putat oratoris: »si Praetores igitur »debite mulctam imposuissent, eamque in vestro

»tribunali ratam fieri curavissent, postquam Quaest-»ores eam remisissent crimine liberatus essem: si »enim (Quaestores, ut puto) potestatem habuerunt »vel exigendae vel remittendae mulctae, ne si le-»gitime quidem mulctatus essem aequa ratione »deberem: sin autem licet quidem iis (i. e. Quaes-»toribus) remittere, redduntque rationes eorum »quae administrent, si quid iniuste fecerunt fa-»cile debitam poenam solvent." Cui sententiae primum hoc maxime repugnat, quod dicitur, reum solutum crimine fore Quaestoribus mulctam remittentibus, etiam si tribunal eam ratam esse iusserit; id, quod prorsus ferendum non est ei, qui quanta fuerit tribunalium potestas Athenis gnarus est. Tum, in oppositione assumitur hoc, mulctae remissae rationes exigi a Quaestoribus, ipsosque, si contra ius fecerint, puniri. Sed quid hoc ad causam, et ad praesentem defensionem? in qua demonstrari oportet a Polyaeno debitorem se non esse: neque usquam iudicii in Quaestores instituti, in hac quidem causa, mentio fit: igitur nondum translatum erat debitum a Polyaeno in Quaestores. Omitto hoc, de magistratibus quidem qui iudiciis praeerant cognitum esse, ut, nisi inscribant mulctam, ipsi debeant (Demosthenes Macart. p. 1075. init. cet.), de Quaestoribus autem, qui non exigant, nusquam tale quid traditur.

Igitur, si bene percepi Emperii interpretationem, in qna fieri potest ut fallar, coniecturam quamvis ingeniosam probare nullo modo possum. Mihi videtur, propter *εἰ δ' οὖν*, necessario sequi debere conclusionem, quae e proxime praecedentibns ducatur: tum, molestum est *οἵδε*, cuius pronominis nulla defensio est, ubi pergit de iisdem loqui, neque his alios opponit. Ego, inquit, hinc coniecturam facio eos praeter ius iudicasse, quod sententiam per tribunal confirmare neglexerunt. Hinc sequitur, si forte re praeter ius iudicata, per tribunal tamen ratam fieri sententiam curavissent quam Quaestores irritam fecissent, eos hoc modo liberos futuros fuisse omni crimine, *ὡς οὐκ ἠδικηκότες*. Legendum igitur est: *εἰ δ' οὖν ἐζημίωσαν μὲν οὐ προσηκόντως, ἐκύρωσαν δ' — ἀφέντων, εἰκότως — ἀπηλλαγμένοι εἶεν*. Tum sequentia quoque de iisdem Praetoribus dicuntur. Nam, inquit, alterutrum verum est: vel *ἀνυπεύθυνον* habuerunt mulctae imponendae potestatem, ut liceret iis vel exigere, vel remittere ad tribunal, vel quodcumque decreverunt tribunalis sententia aut confirmari ant abrogari oportet: si prius, quomodocumque de me pronunciaverint, sive iure, sive iniuria, ego debitor ero: sin posterius, (i. e. quoniam illud verum non est, hoc potius videtur) ita ut decreti apud iudices rationes red-

dendae sint, si quid revera deliqui, eam obtinebunt a me poenam quae iure peti possit. Quae hoc animo dicuntur, quasi dicat, si vere male egissem, sine dubio iudices mulctam confirmavissent: eoque confirmatur illa argumentatio qua prius usus erat, quod rationes reddere noluissent, hinc suspicionem esse iniuria eos statuisse. Quapropter legendum puto: *εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἐφεῖναι, ὁπωσοῦν ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον· εἰ δ' ἔξεςι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δ' εὐθύνας ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίσωσιν, εἴ τι ἠδίκηκα, τῆς προσηκούσης ῥᾳδίως δίκης τεύξονται.* Mutavi prius *ἀφεῖναι* in *ἐφεῖναι*, sensu postulante. Primum stulte inter se opponebantur, *εἰ κύριοί εἰσι ἀφεῖναι*, et *εἰ ἔξεςι ἀφεῖναι.* Tum non fuit Praetoribus optandum, utrum mallent exigere, an condonare mulctam, sed an remittere iudicium ad tribunal: et hoc est *ἐφεῖναι*, unde bis apud Demosthenem, de diaeteta, plena locutione, *ἐφεῖναι εἰς τὸ δικαςήριον.* Dein pro *ἐννόμως* scripsi *ὁπωσοῦν· εὐθύνας* retinui, quod Reiskio debetur: ex *διαχειρίζωσιν* feci Aor. 1. flagitante sententia: postremo pro *ἠδικήκασι*, restitui primam personam singul., quoniam in omni illa quaestione hoc spectabatur, utrum vere poenam meruisset ipse defensor.

Reliqua in hac oratione, etsi hic illic nondum sanata, multo tamen facilius restitui possunt.

XIV.

Continuatio (Orat. X. in Theomnestum I, et XII, in Eratosthenem.)

Orat. X. in Theomnestum § 4. (p. 344 sq. R.) Post brevissimum exordium, in quo dixerat actor sibi a Theomnesto exprobratum esse quod patrem interfecisset, quaesieratque utrum huius *κακηγορίας* poenas daturus ille esset, an praecipuum hoc habiturus, ut quidquid vellet contra leges liceret ei facere ac dicere; sic continuat: *ἐμοὶ γάρ, ὦ ἄνδρες δικασαί, ἔτη εἰσὶ τριάκοντα τρία κ. τ. λ.* quae argumentum continent, quo demonstretur fieri non posse, ut patrem interfecerit. Sed ipsum ingressum in causam desiderari manifestum est, et illud, cuius demonstrandi causa haec adferuntur.

Neque ita solet Lysias, sed initio declarare qua de re dicturus sit. Quae in lacuna ante haec interciderunt, eorum memoriam saltem servavit epitome huius Orationis, init. verbis, ὅτι δὲ οὐ πεποίηκα. Igitur aut alia, aut haec istis praemissa fuisse suspicor: ὁρᾶτε οὖν ὡς ἄτοπον καὶ ἀναιδές ἐςι τοῦθ' ὃ ἀκοῦσαι μ' αὐτοῦ ἴςε.

Ibid. § 7. (p. 348. R.) Dixerat Theomnestus, ὡς οὐκ ἐςι τῶν ἀποῤῥήτων, ἐάν τις εἴπῃ τὸν πατέρα ἀπεκτονέναι· nam non hoc prohibere legem, ἀλλ' ἀνδροφόνον οὐκ ἐᾷν λέγειν. Quibus haec reponit actor: Non arbitror vos de verbis dissentire, sed de eorum sententia; καὶ πάντας εἰδέναι ὅτι ὅσοι ἀνδροφόνοι εἰσὶ, καὶ ἀπεκτόνασι τινάς. Credo argumentum necessario invertendum esse sic: ὅτι καὶ ἀνδροφόνοι εἰσὶ, ὅσοι ἀπεκτόνασι τινάς.

Ibid. § 9. (p. 349. R.) Stultam illam verborum distinctionem exagitans, quaerit ex Theomnesto, qui, quod arma abiecisset, ante fuerat accusatus: εἴ τίς σε εἴποι ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα, ἐν δὲ τῷ νόμῳ εἴρητο ἐάν τις φάσκῃ ἀποβεβληκέναι ὑπόδικον εἶναι, οὐκ ἂν ἐδικάζου αὐτῷ, ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐῤῥιφέναι τὴν ἀσπίδα, λέγοντι οὐδέν σοι μέλει; Postrema nullam idoneam referunt sententiam: et iure videtur Foertschius Comment. Crit. p. 54, not. repudiasse Bremii interpretationem, quae Graecae orationis indoli vim infert. Ipse (probante

Emperio p. 27.) hoc excogitavit, ut verba sic construerentur: ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι λέγοντι, οὐδέν σοι μέλειν [τοῦ] ἐῤῥιφέναι τὴν ἀσπίδα. Uterque, nisi fallor, in eo labitur, quod ἐξήρκει ad Theomnestum, non ad alterum illum retulit. Nimirum ἐξαρκεῖν est, satis esse, satis facere quo quis se defendat et excuset: atqui a Theomnesto nihil, ut faceret, in ea ficta causa, requirebatur. Quapropter necessario legendum, ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐῤῥιφέναι τὴν ἀσπίδα λέγων ὅτι οὐδέν σοι μέλει· i. e. »non »litem ei moveres, sed satis esset tibi (quo se de»fenderet) si diceret, verba illa, ἐῤῥιφ. τ. ἀσπ., »nihil ad te pertinere?"

Ibid. § 12. (p. 352 sq. R.) Quid absurdum sit in illa Theomnesti defensione, qui verba non rem curabat, ostendit actor exemplo iudicii caedis apud Areopagum. Τὰς διωμοσίας, inquit, οὐ διὰ τούτου τοῦ ὀνόματος ποιοῦνται, i. e. non utuntur in illis sollemnibus iurandi formulis nomine ἀνδροφόνου, sed eo verbo, quo ego petitus sum: nam actor iurat ὡς ἔκτεινε, reus ὡς οὐκ ἔκτεινε. Pergit sic: οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη τὸν δόξαντα κτεῖναι φάσκοντα ἀνδροφόνον εἶναι, ὅτι ὁ διώκων, ὡς ἔκτεινε, τὸν φεύγοντα διωμόσατο. τί γὰρ ταῦτα ὧν οὗτος ἐρεῖ διαφέρει; In his δόξαντα a Reiskio est, pro constanti librorum lectione δείξαντα· idem praeterea post κτεῖναι, de suo addiderat ἀποφεύ-

γειν. In huius coniecturae interpretatione primum hoc incommodum est, quod δόξας κτεῖναι, et φάσκων ἀνδροφόνος εἶναι, de eodem per appositionem dicuntur: quominus enim posterius participium per gerundium, aut tamquam in ratione reddenda positum accipiamus, vetant sequentia, in quibus diserte ratio redditur, ὅτι ὁ διώκ. — διωμόσατο. Tum φάσκω non est *confiteor*, sed *affirmo:* dixisset in illa sententia ὁμολογῶ. Tractavit hunc locum uberius Foertschius Obs. Crit. p. 13 sqq., qui, probato δόξαντα, satisfieri sententiae putat, si post κτεῖναι inseritur ἀφεῖναι, ab illo fortasse propter similitudinem absorptum. Nihil magnopere distat hoc a Reiskiano supplemento, idque e Foertschii interpretatione intelligitur. Mihi vero et illa librorum lectio servanda esse videtur, et negatio inserenda, et locus putido emblemate liberandus. *Οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη τὸν δείξαντα κτεῖναι οὐ φάσκειν ἀνδροφόνον εἶναι, ὅτι ὡς ἔκτεινε διωμόσατο.* i. e. »Igitur absurdum esset, eum eo »ipso quod ostendisset *interfecisse*, non affirmare »ἀνδροφόνον εἶναι, propterea quod in iureiurando »ὡς ἔκτεινε posuisset.'' Scilicet, non quaeritur de absolvendo aut non absolvendo, sed de interpretatione orationis et verborum. Quare sic ratiocinatur: si istius oratio sic stulte acciperetur, nihilo sanior tua est oratio, qui similia dicas, nempe,

quod dixeris me patrem meum interfecisse, ideo non dixisse me *ἀνδροφόνον εἶναι*. Sollemne autem est *δεῖξαι* in arguendo et accusando: *φάσκειν* in affirmando ponitur, sicut Orat. XII. in Eratosth. § 5. (p. 385. R.) et § 27. (p. 398. fin. R.)

Orat. XII. in Eratosth. § 5. (p. 384 sq. R.) *Ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέςησαν, φάσκοντες χρῆναι τῶν ἀδίκων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν καὶ τοὺς λοιποὺς πολίτας ἐπ' ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην τραπέσθαι· καὶ τοιαῦτα λέγοντες οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων κ. τ. λ.* Bremius ad h. l. videtur haec ad anacoluthiae quoddam genus reiicere. Sed minima posita distinctione post *τραπέσθαι*, et sublato *καί*, non opus est illa machina. Legendum praeterea *ἀδικούντων*, pro *ἀδίκων*.

Ibid. § 6. (p. 386. R.) In nefariis XXXvirorum sceleribus explicandis memorat de Theognide et de Pisone, qui *ἔλεγον — περὶ τῶν μετοίκων, ὡς εἶέν τινες τῇ πολιτείᾳ ἀχθόμενοι· καλλίςην οὖν εἶναι πρόφασιν τιμωρεῖσθαι μὲν δοκεῖν, τῷ δ' ἔργῳ χρηματίζεσθαι*. Non apparet quo modo e caede eorum, qui *τῇ πολιτείᾳ ἤχθοντο*, pecuniam quaererent. Excidit, credo, diserta eius rei mentio, post *ἀχθό-*

μενοι, verbi causa, ἅμα δὲ καὶ πλουτοῦντες· conf. Xenophon. Hellen. II, 3, 15. Mor. — Sed magis corrupta sunt quae statim sequuntur: πάντως δὲ τὴν μὲν πόλιν γενέσθαι τὴν ἀρχὴν δεῖσθαι χρημάτων. Suo quisque more haec emendare conatus est: ut de novissimis memorem, Franzius ante γενέσθαι excidisse ἀσθενῆ putabat (arcessitum, credo, e § 70. p. 428. R.): Emperius p. 26, idem in sententia consequi sperabat, mutato γενέσθαι in πένεσθαι, id quod non tantum Schneidero, sed Marklando venerat in mentem, ita ut δ' adderetur ante ἀρχήν. Dobreus in alia omnia abit. Sed convenire prius oportet, quid dicere velle oratorem aequum ac necesse sit. Nam, quam illi Viri Docti Lysiae tribuunt sententiam, »omnino autem »civitatem inopem, invalidam esse, sed imperium »indigere pecunia;" alienissimam esse puto. Quid enim hoc ad spoliandos inquilinos attinebat, civitatem inopem esse? id quod de postrema parte sententiae rectissime intelligitur. Mihi persuasum est hoc requiri, ut dicat, non ferendum esse singulos cives opulentos esse, imperium autem pecuniae inopia laborare: haec enim est turpissimi consilii excusatio. Quare mihi videtur sic emendandum esse: ἀναξίως δὲ τὴν μὲν πόλιν δύνασθαι, τὴν δ' ἀρχ. δ. χρ. Et πάντως quidem ita mutandum erat, ut quaedam sententiae esset

significatio, quae ceteroquin nulla erat. *Δύνασθαι χρήμασι*, i. q. *πλουτεῖν*, ut plene dicitur Orat. VI. in Andocid. § 48. (p. 248. R.), ita hoc loco, propter sequens *χρημάτων*, absolute dici potuit.

Ibid. § 27. (p. 399. R.) Duo confessus erat Eratosthenes, primum dissuasisse se in XXXviris istud de inquilinis tollendis consilium; tum istorum tamen imperio parentem in carcerem duxisse Polemarchum. De postremo sic dicit orator: *καὶ μὴν οὐδὲ τοῦτο εἰκὸς αὐτῷ πιςεύειν, εἴπερ ἀληθῆ λέγει φάσκων ἀντειπεῖν, ὡς αὐτῷ ἐτάχθη. οὐ γὰρ δή που ἐν τοῖς μετοίκοις πίςιν παρ' αὐτοῦ ἐλάμβανον.* Interpretatur Bremius, in Excurs. IV. »noluissent enim fidem tentare inter *μετοίκους*." Perperam: nam illud ipsum sequitur mox, parum verisimile esse ei imperatum fuisse de inquilinis, qui ipse contrariam de iis sententiam dixisset. Et aliud est *πίςιν λαμβάνειν παρά τινος*· conf. § 9. et 77: et explicuit Dobreus ad Andocidem p. 180. Sed eadem de causa mentio *μετοίκων* mihi suspecta est. Apparet autem e § 30 sq. (p. 400. fin. sqq. R.) non fuisse Eratosthenem in eorum numero, qui ad comprehendendos inquilinos mittebantur a XXXviris, sed Polemarchum, forte in via obviam factum, comprehendisse, quum negare potuisset vidisse eum, nullo modo arguendus: ceteris autem, qui missi essent, periculum futurum fuisse si eo non acces-

sissent, aut si deprehendisse se negassent: itaque ab his πίςις ἐλαμβάνετο, ab Eratosthene idem fieri non poterat, nullum quippe indicium esse poterat, si quid non fecisset. Coniicio propterea legendum esse: οὐ γὰρ δή που ἐν ταῖς ὁδοῖς πίςιν π. αὐ. ἐλ. i. e. »non enim fieri poterat, ut, si forte »imperatum esset ei in viis comprehendere istos, »pignore eum obstrictum haberent facturum man- »data." Πίςις cernebatur in illo κινδύνῳ, de quo § 31. sermo est.

Ibid. § 38. (p. 408 sq. R.) Οὐ γὰρ δὴ οὐδὲ τοῦτο αὐτῷ προσήκει ποιῆσαι, ὅπερ ἐν τῇδε τῇ πόλει εἰθισμένον ἐςί, πρὸς μὲν τὰ κατηγορημένα μηδὲν ἀπολογεῖσθαι, περὶ δὲ σφῶν αὐτῶν ἕτερα λέγοντες ἐνίοτε ἐξαπατῶσιν, ὑμῖν ἀποδεικνύντες ὡς ςρατιῶται ἀγαθοί εἰσιν κ. τ. λ. Primum minutum est quod corrigimus, ut legatur, ἐξαπατῶσιν ὑμᾶς, ἀποδεικν. conf. loci memorati a Foertschio Comment. Crit. p. 55. not. Tum non assentior neque Reiskio, neque Dobreo p. 215, quidquam constructionis causa in verbis mutandum esse: conversio est orationis ex infinita in finitam, id quod ipsum adverbium ἐνίοτε indicat.

Ibid. § 51. (p. 417. R.) Theramenem accusaturus, hoc, inquit, arguam, τὰς πρὸς ἀλλήλους (inter hunc et Eratosthenem) διαφορὰς οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν, ἀλλ' ὑπὲρ ἑαυτῶν γινομένας (l. γενομ.),

ὁπότεροι ταῦτα πράξουσι καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσι. Nihil habet *ταῦτα* quo referatur: in proxime enim antecedentibus, quid *νομίζοι* Theramenes, non quid ageret dicebatur. Sensisse credo Dobreum p. 216, qui *μέγιςα* coniicit. Suspicor legendum esse, *ὁπότεροι πάντα πράττοντες τῆς πολ. ἄρξ.*, *uter, omni re tentata, civitatis imperium consecuturus esset.*

Ibid. § 81. (p. 434. med. R.) Postquam de Theramene absolvisset, cuius societate se defendebat Eratosthenes, dixissetque tempus nunc venisse quo a XXXviris poenas sumerent, haec addit: *κατηγορεῖτε δὲ Ἐρατοσθένους καὶ τῶν τούτου φίλων, οἷς τὰς ἀπολογίας ἀνοίσει καὶ μεθ' ὧν αὐτῷ ταῦτα πέπρακται.* Istud *κατηγορεῖτε*, sive Indicativus, sive Imperativus sit, non intelligere se recte et iure dicit Dobreus p. 219: sed aliena molitur. Simplicissima emendatio est, *κατηγόρηται*. Initium est epilogi: et sic Orat. XXVII. in Epicratem, quae ipsa epilogus est, incipit, *κατηγόρηται μὲν Ἐπικράτους ἱκανά.* Sensus est: accusatio nunc instituta est in Eratosthenem; certamen vos cum eo habebitis. Non vidit hoc Emperius p. 31.

Ibid. § 88. (p. 438. R.) Contendit eos, qui hac accusatione petebantur, quorumque saluti multi defensores ac testes operam dabant, cum eorum conditione, qui ab istis interfecti fuerant. *Καίτοι*

οὗτοι (XXXviri) μὲν σωθέντες πάλιν ἂν δύναιντο τὴν πόλιν ἀπολέσαι· ἐκεῖνοι δὲ, οὓς οὗτοι ἀπώλεσαν, τελευτήσαντες τὸν βίον πέρας ἔχουσι τῆς παρὰ τῶν ἐχθρῶν τιμωρίας. Vindicandus est locus a Dobrei dubitationibus p. 220. Sententia et oppositio perspicua est. Tantum abest, inquit, ut aequali conditione, ἐξ ἴσου, hi contendantur, ut XXXviri, si ex hoc iudicio servarentur, iterum possent civitatem pessumdare, et inimicos ulcisci, illi autem, quippe mortui, vitam finem simul habent ultionis ab inimicis sumendae, adeo ut secundum hos pronunciata sententia nihil iis profutura sit. Proba locutio est, ἡ παρὰ τῶν ἐχθρῶν τιμωρία, ultio quam ab inimicis sumit quis: servat enim substantivum structuram verbi τιμωρίαν λαμβάνειν. vid. Porson. et Schaefer. ad Phoeniss. 948: quamquam active quoque dicitur ἡ παρὰ τῶν θεῶν τιμωρία, poena quae a diis proficiscitur, infra § 96. fin. (p. 444. med. R.) Et ἔχουσι dicit, non εἶχον, quoniam de omni istorum, praesenti quoque, conditione loquitur, in qua, simulatque mortui essent, perpetuo versabantur.

Suum in locum revocanda sunt, quae libri omnes alienissimo collocarunt. Quum enim § 84. (p. 435. fin. R.) reorum in hac causa impudentiam notavisset, qui his iudicibus causam dicturi essent, qui ipsorum scelera sensissent, idque pro-

pterea considerandum esse, quod non sine adiutoribus et sociis hoc suscepturi fuissent, qui, istis absolutis, sibi quoque omnis libidinis licentiam quaererent; pergit primum ad illorum in iudicio defensores, tum ad testes qui iisdem opem laturi erant: tum addit illa, quae modo tractavimus, de inaequali reorum conditione, et eorum qui per istos interfecti erant. Subiiciuntur statim § 89. (p. 440. R.) haec: *καὶ μὲν δὴ πολὺ ῥᾷον ἡγοῦμαι εἶναι ὑπὲρ ὧν ὑμεῖς ἐπάσχετε ἀντειπεῖν, ἢ ὑπὲρ ὧν οὗτοι πεποιήκασιν ἀπολογήσασθαι.* Sed nullus hic locus erat aut accusationi, aut defensioni, neque in testibus talia requiruntur. Aptissime ista continuabuntur his, in § 86. (p. 436. R.) *Ἀλλὰ καὶ τῶν ξυνερούντων αὐτοῖς ἄξιον θαυμάζειν, πότερον ὡς καλοὶ κἀγαθοὶ αἰτήσονται, τὴν αὑτῶν ἀρετὴν πλείονος ἀξίαν ἀποφαίνοντες τῆς [τούτων] πονηρίας· (ἐβουλόμην μεντἂν αὐτοὺς οὕτω προθύμους εἶναι σώζειν τὴν πόλιν, ὥσπερ οὗτοι ἀπολλύναι·) ἢ ὡς δεινοὶ λέγειν ἀπολογήσονται, καὶ τὰ τούτων ἔργα πολλοῦ ἄξια ἀποφανοῦσιν; (ἀλλ' οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν οὐδεὶς αὐτῶν οὐδὲ τὰ δίκαια πώποτε ἐπεχείρησεν εἰπεῖν· καὶ μὲν δὴ πολὺ ῥᾷον, — ἀπολογήσασθαι.)* Tam perspicuum esse credo haec et apte et necessario iungi, ut pluribus demonstrare putidum sit.

XV.

Continuatio (Orat. XIII. in Agoratum et Orat. XIV. in Alcibiadem I.)

Orat. XIII. in Agorat. § 20. (p. 457 fin. sq. R.) Recte mihi videtur Marklandus corrigere hunc locum. De Senatu loquens, qui fuerat ante XXXviros, haec dicit Lysias: ὅτι τὰ ψηφίσματα τὰ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς οὐκ ἐπ' εὐνοίᾳ τῇ ὑμετέρᾳ, ἀλλ' ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου τοῦ ὑμετέρου ἅπαντα ἐλέγετο. Requiri enim videtur ἐγένετο, frustra repugnante Reiskio. Primum enim postulatur Aoristus in singulis illis quae perfecta erant. Tum formula in psephismatis, εἶπε, de oratoribus usurpatur, et in ferenda lege, non in perlata: et ἐλέγετο τὰ ψηφίσματα non nisi in elo-

cutione, aut in mentione dici potest: nusquam apud oratores deprehendi. Infra iterum appellantur τὰ ψηφίσματα τὰ ἐκ τῆς βουλῆς, § 50.

Ibid. § 34. (p. 466. med. R.) Verissime vidit Dobreus p. 223. eiicienda esse verba καὶ οἱ τριάκοντα κατέςησαν. Statim post ea suo loco sunt § 35. ἐπειδὴ τοίνυν οἱ τριάκοντα κατεςάθησαν, εὐθέως κρίσιν τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐποίουν ἐν τῇ βουλῇ· ὁ δὲ δῆμος ἐν τῷ δικαςηρίῳ ἐν δισχιλίοις ἐψηφίσατο. Bene defendit haec Dobreus, qui prius ἐν τῷ δικας. eiicienda censuerat. Conferenda formula est cum sollemni ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι, nisi quod hic, ut in perpetuo numero, articulus numerali praemittitur: de quo alias notabo.

Ibid. § 46. (p. 471. R.) ἡ δύναμις ἅπασα τῆς πόλεως παρελύθη, ὥςε μηδὲν διαφέρειν τῆς ἐλαχίςης πόλεως τὴν πόλιν. Tria postrema vocabula interpolationi deberi suspicor. Πόλεως certe soloecum adeo est, ubi adiectivo ἐλαχίςης articulus praemittitur, quo substantivi ellipsis redimitur. Minus concedam Dobreo p. 223, in § 48. (p. 472. R.) in verbis, οὓς σὺ βουλομένους ἀγαθόν τι πρᾶξαι τῇ πόλει ἀπέκτεινας, delendum esse τῇ πόλει. Idem, quod reliqua, αὐτοὺς τῇ βουλῇ ἐπιβουλεύειν τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, ut scholion delenda censet, laudo, modo eadem litura μηνύσας deleatur. Alio modo expedit sese Franzius p. 13.

Agoratus, inquit orator, fortasse hoc defensurus est, invitum se tot mala perpetrasse. Cui hoc reponit, primum, si invitus, non tamen ideo minus propulsari hoc oportere; tum, potuisse eum, si voluisset, ab istis abstinere, modo sponsoribus obtemperasset, qui fugam ei paravissent. Quibus statim haec subiiciuntur, § 53. (p. 477. R.) *νῦν δὲ πεισθεὶς ὑφ᾽ ὧν τότε ἐπείσθης, εἰ τῶν ςρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων τὰ ὀνόματα μόνον εἴποις, μέγα τι ᾤου παρ᾽ αὐτῶν διαπράξασθαι.* Non videtur apta conclusio ex iis, quae ante arguerat. Quid enim attinebat, quid aut quantum impetrare aut perficere Agoratus speravisset, ad veniam ei vel concedendam, vel negandam? Conclusionem eamdem esse oportet, quam in superioribus posuerat, quum repellebat reum, qui invitum se fecisse dicturus erat. Hoc restituetur levi correctione, et continuatis cum his iis quae subiiciuntur: *νῦν δὲ — ἐπείσθης, εἰ — εἰπὼν μέγα τι ᾤου — διαπράξασθαι, οὔκουν τούτου ἕνεκα δεῖ σε παρ᾽ ἡμῶν συγγνώμης τινὸς τυχεῖν κ. τ. λ.* Quae distinctio eo magis probabitur, credo, si dixero *μέγα τι παρ᾽ αὐτῶν διαπράξασθαι* et *συγγ. τινὸς παρ᾽ ἡμῶν τυχεῖν*, de industria inter se opponi. Mutatum fortasse est duplici de causa: primum quum negligeretur *εἰ ᾤου* tam bene dici, quam modo ante, initio huius §, *εἰ ἐπείθου*, ideoque optativus *εἴποις*

substitutus est participio: tum, quod sequitur altera causa, *ἐπεὶ οὐδὲ ἐκεῖνοι παρὰ σοῦ οὐδεμιᾶς ἔτυχον·* quum ignoraretur saepe ex abundantia novum ita argumentum adiici.

Ibid. § 59. (p. 482. R.) Exponitur de Aristophane Chollida, qui unus fuerat sponsorum, et Agoratum fuga servari studuerat. De illo quoque pessime meritum esse Agoratum dicitur: *νῦν δὲ καὶ τὸν σωτῆρα τὸν σαυτοῦ ἐτόλμησας ἀπογράψαι, καὶ ἀπέγραψας καὶ ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἄλλους ἐγγυητάς.* Reiskio, offenso illo *ἀπέγραψας*, quod in *ἐπέτρεψας* mutari suadebat, adversatur Foertschius Obs. Crit. p. 30, qui *ἐτόλμ. ἀπογρ.* interpretatur, *in animum induxisti ut deferres*, alterum *ἀπέγραψας*, *reapse detulisti.* Probare non possum, neque cuiquam probabitur, qui Lysiacae elegantiae gnarus est. Credo potius reiicienda esse illa postrema (*καὶ ἀπεγρ. — ἐγγυητάς*) suum in locum § 61, ita ut post verba *τῆς τότε πολιτ. καθ.ς.* collocentur. Scilicet, in illa Agorati cum Aristophane contentione, huic, inquit, hoc debuisses, si ei obtemperavisses, ut et ipse salvus esses, et neminem Atheniensium perdidisses; nunc ipsum hunc sospitatorem tuum ausus es deferre. Nullus in hac contentione locus est reliquis sponsoribus. Pergit autem reliqua discrimina explicare, in quibus tum Aristophanes fuisset, qui

ista potius tulisset, quam ut falso iudicio aliis exitium pararet. Postremo concludit collationem, § 61. (p. 483. fin. R.) ἐκεῖνος μὲν τοίνυν καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος τοιουτοσὶ ἐγένετο, καὶ Ξενοφῶν — καὶ Ἱππίας —· σὺ δ' οὐδὲν τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις συνειδὼς, πεισθεὶς δὲ ὡς σύ γε, ἂν ἐκεῖνοι ἀπόλωνται, μεθέξεις τῆς τότε πολιτείας καθισταμένης, ἀπέγραψας καὶ ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἄλλους ἐγγυητὰς, καὶ ἀπέκτεινας Ἀθηναίων πολλοὺς καὶ ἀγαθούς. Fieri potest ut fallar: sed ista sic aliquanto aptius nexa mihi videntur, quam in libris feruntur.

Iterum transpositionis remedio utendum esse puto ibid. § 65 sqq. (p. 488 sqq. R.) Postquam ostendisset orator quam praestantibus civibus Agoratus vel mortis vel exsilii causa fuisset, explicaturus est quam vili ipse loco et conditione oriundus esset: nam servum ipsum, et e servis natum esse, patrem quum habuisset Eumarem: eiusque rei testes excitantur. Tum ita continuat orator: Πολλὰ τοίνυν — ὅσα κακὰ καὶ αἰσχρὰ καὶ τούτῳ καὶ τοῖς τούτου ἀδελφοῖς ἐπιτετήδευται, πολὺ ἂν εἴη ἔργον λέγειν· sed de industria memorat Agoratum et sycophantam et moechum deprehensum fuisse: eorumque criminum quum testes excitasset, sic pergit § 67: ἦσαν τοίνυν οὗτοι — τέτταρες ἀδελφοί· atque de trium flagitioso exitu dein exponit; de quibus rursus ad testes provocat. Tum haec se-

quuntur § 69: πῶς οὖν οὐχ ἅπασι προσήκει ὑμῖν τούτου καταψηφίζεσθαι; εἰ γὰρ τούτων ἕκαστος δι' ἓν ἁμάρτημα θανάτου ἠξιώθη, ἤ που τοῦ γε (sic necessario sec. Laurent. legendum) πολλὰ ἐξημαρτηκότος — δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι. Convenientius, inquam, est, ut quae § 67 sq. dicuntur, subiiciantur prioribus illis testimoniis § 64, modo sic corrigantur: ἦσαν τοίνυν τούτῳ — τέτταρες ἀδελφοί. Nam de patris servili conditione quum confirmavit, subiecit sane de fratribus perditissimis, quo magis totum illud genus in odium adduceret, memoravitque ea, quae nota erant omnibus. Post demum addidit illa § 65. de uno Agorato, cuius causa haec omnia instituta erant, πολλὰ τοίνυν κ. τ. λ.: et praecipuis eius reliquae vitae flagitiis commemoratis, testimonioque confirmatis, sic postremum concludit § 69: πῶς οὖν οὐχ ἐφ' ἅπασι προσήκει ὑμῖν κ. τ. λ. In quibus quod inseruimus ἐφ' ante ἅπασι, nemo, credo, improbabit, qui reputaverit nullam h. l. esse causam quare πάντες ὑμεῖς dicantur, neque haec conferri posse cum ipso initio huius orationis, neque cum § 92, quippe utroque loco oppositio est. Contra ἐφ' ἅπασι, *propter omnia scelera*, nempe quae modo memoraverat, (secundum nostram transpositionem,) quaeque accedebant criminibus quorum nunc reus agebatur Agoratus, oppositum habet in sequentibus,

δι' ἓν ἁμάρτημα. Probatis igitur duabus levissimis correctionibus, locus sic erit ordinandus, ut §§ 67 et 68 ponantur ante §§ 65 et 66. Praeterea in § 66 scholion delendum est, καὶ τούτου θάνατος ἡ ζημία ἐςίν· suo loco ista dicuntur § 69.

Dicturus erat Agoratus Phrynichum e Quadringentis a se occisum esse, ideoque se civitate donatum esse. Quorum utrumque mendacii quum arguit orator, de priori psephisma affert, ex quo apparebat non ab isto, sed a Thrasybulo et Apollodoro caedem illatam esse Phrynicho: tum ex eodem psephismate arguit non fuisse civitate donatum Agoratum, § 72. (p. 492. med. R.) ὅτι μὲν οὐκ ἀπέκτεινε Φρύνιχον, ἐξ αὐτοῦ τοῦ ψηφίσματος δῆλον· οὐδαμοῦ γάρ ἐςιν Ἀγόρατον Ἀθηναῖον εἶναι, ὥσπερ Θρασύβουλον καὶ Ἀπολλόδωρον· (in quibus corrigendum videtur Ἀγόρατος οὔτε Ἀθηναῖον εἶναι· sensus est, »neque appellatur omnino »in illo psephismate Agoratus, neque Atheniensem eum esse dicitur:) καίτοι εἴπερ ἀπέκτεινε Φρύνιχον, ἔδει αὐτὸν ἐν τῇ αὐτῇ ςήλῃ, ἵνα περ Θρασύβουλον καὶ Ἀπολλόδωρον, Ἀθηναῖον πεποιημένον..... τὰ μέντοι ὀνόματα διαπράττονται σφῶν αὐτῶν, δόντες ἀργύριον τῷ ῥήτορι, προσγραφῆναι εἰς τὴν ςήλην ὡς εὐεργέτας ὄντας. Καὶ ὡς ἀληθῆ λέγω, τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐλέγξει. ΨΗΦΙΣΜΑ. Nihil in his offendisse videtur Viros Doctos, prae-

terquam lacuna post *πεποιημένον*. Mihi primum videtur istud *πεποιημένον*, ab annotatore profectum, cedere debere Infinitivo, qui postulatur, *ἀναγεγράφθαι*. De reliquis omnibus sic censeo, ab intempestivo interprete esse. Quorsum enim hoc pertinet, nonnullos (nam inserendum huic annotationi necessario *τινὲς*, post *ὀνόματα*, ut aliqua tamen sententia hinc exsistat; sine quo non intelligitur quale subiectum habeat verbum *διαπράττονται* —) pretio hoc impetrare, ut nomina sua, velut *εὐεργετῶν*, adscribantur? Si memoravisset Orator revera adscriptum *ἐν στήλῃ* fuisse nomen Agorati, intelligeremus nunc eum demonstrare, ex illo more, velle, fraude sic in civitatem invasisse Agoratum: sed contra ostendit non esse eum adscriptum. Postremo, quorsum iterum psephisma excitatur, et quidem diversum ab illo (*τοῦτο τὸ ψήφ.*)? Non sane, ut argueretur illa fraus nonnullorum: quomodo enim haec ullo modo e psephismate intelligi poterat? Et de Thrasybulo et Apollodoro iam prius psephisma recitatum erat. Restat ut tota illa appendicula abiiciatur. — Obiter moneo, in § 73 *τὰς ἐξ ἀνθρώπων*, quae perperam Taylorus tractat, dudum rectius nunc explicari: conf. Bernardus in Addend. ad Thomam Mag. ad p. 359. b: quibus addantur Plato Theaet. p. 125, C. Aeschines Timarch. p. 83. R. Lysiae lo-

cum perverse acceperat Meursius quoque Themid. Att. II. 6.

Ibid. § 86. (p. 503. fin. sqq. R.) Locus propemodum desperatus. Agorati defensio hoc quoque nitebatur, quod τῇ ἀπαγωγῇ adscriptum erat ἐπ' αὐτοφώρῳ· idque stultissimum esse demonstrat Orator, quasi qui confiteretur ἀποκτεῖναι, non autem ἐπ' αὐτοφώρῳ. Quibus haec subiiciuntur: δοκοῦσι δ' ἔμοιγε οἱ ἕνδεκα οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην, οἰόμενοι Ἀγοράτῳ συμπράττειν τότε καὶ διισχυριζόμενοι σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι Διονύσιον, τὴν ἀπαγωγὴν ἀπάγειν ἀναγκάζοντες, προσγράψασθαι τότε ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἢ ὅπου ἂν ᾖ· πρῶτον μὲν ἐναντίον πεντακοσίων ἐν τῇ βουλῇ, εἶτα πάλιν ἐναντίον Ἀθηναίων ἁπάντων ἐν τῷ δήμῳ ἀπογράψας τινὰς ἀποκτείνειε καὶ αἴτιος γένοιτο τοῦ θανάτου. Complura sunt in his verbis, quantum interpretando sententiam assequi licet, quae ferri nullo modo possunt. Nam, ut hoc utar, quis credat XIviros voluisse operam dare (συμπράττειν) Agorato, simulque Dionysium, ut deferret ἀπαγωγὴν, coëgisse, utque adderet illam formulam ἐπ' αὐτοφώρῳ· si tamen ista omnia in turbatissima verborum structura insunt. Prius illud adeo arripuit Bremius, qui mirum in modum sic fingit, spectasse XIviros ut XXXviris probaretur Agoratus: quasi non populares partes nunc, expulsis illis, diu do-

minarentur: conf. § 83 sq. Itaque iam Taylorus inserendam negationem ante *οἰόμενοι* censuit, pariterque Marklandus. Reliquorum Virorum Doctorum de universo loco coniecturas referre et edisserere, quamquam sentio hoc et diligentiae et religionis esse, tamen nunc omittam: sed easdem qui iterum explorare cupiant, his meam qualemcumque opinionem diiudicandam commendo. Suspicor autem sic legendum esse: *δοκοῦσι δ' ἔμοιγε οἱ ἕνδεκα παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην οὐκ οἴεσθαι Ἀγοράτῳ συμπράττειν τοῦτο, ἀλλὰ διισχυρίζεσθαι σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι Διονύσιον ἀπάγειν ἀναγκάζοντα τῇ ἀπογραφῇ προσγράψαντα τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ ἀποκτεῖναι, εἰ πρῶτον μὲν κ. τ. λ.* i. e. »mihi contra videntur XIviri, quod acceperunt »hanc delationem, non putare prodesse hoc ipsum »Agorato (nempe, additum *ἐπ' αὐτοφ.*), sed con»firmare in primis recte fecisse Dionysium, qui »adducere eos cogeret, quod adscripsisset delationi »*τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ ἀποκτεῖναι*, siquidem primum »cet." — Quum satis perspicuum sit ex hoc loco, delationem apud XIviros factam esse, quum non quaevis caedis actio apud eos institueretur, coniicere licet non nisi eam caedem deferri ad illos magistratus potuisse, quae *ἐπ' αὐτοφώρῳ* appellari posset; idque ingenio istius iurisdictionis in primis aptum esse puto, quamquam Meierus Lit. Att.

p. 76 et p. 228 sqq. non fidenter pronunciare videtur. Praeterea constat magistratus libellum delatoris explorare solitos fuisse, et reiicere potuisse, si qua in re minus recte ageretur: conf. Schoemannus Lit. Att. p. 599. fin. sqq. Sed manifestum est hoc dicere Oratorem, eo ipso quod acceperunt (παραδεξάμενοι) delationem, cui adscriptum esset ἐπ' αὐτοφώρῳ, confirmavisse eos vere hoc adiectum esse, et ad suam cognitionem pertinere actionem: mallemque Schoemannus, qui l. l. p. 611. not. 11 hunc locum excitavit, ad illud potius improbandi genus retulisset, quod sq. pag. initio memorat. Refutat igitur Orator stultam Agorati defensionem auctoritate XIvirorum, qui delationem non accepissent, nisi satis graves causas haberet illa formula ἐπ' αὐτοφώρῳ ἀποκτεῖναι.

Sequitur statim § 87. (p. 505. R.) οὐ γὰρ δήπου τοῦτο μόνον οἴεται ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἐάν τις κ. τ. λ. Reiskium quodammodo sequitur Foertschius Obs. Crit. p. 34, ut accipiat, »non existimare Agoratum, hoc tantum esse ἐπ' αὐτοφώρῳ cet.," defendatque subito a tertia persona ad secundam transferri orationem. Cui interpretationi hoc adversatur, quod ea verbo εἶναι carere non potest: conf. modo § 85: neque enim nudum accusativum regit οἴομαι. In promptu est corrigere δύναται· ut sit, »non hoc tantum valet ea formula."

Ibid. § 91. (p. 509 sqq. R.) Concludit in epilogo. Nou una morte dignus mihi videtur esse: qui quum a populo adoptatum se esse profitetur, huuc pareutem suum iutelligetur pessime habuisse (*κακώσας*), indeque ipse viribus crevisse. *Ὅϛις οὖν τόν τε γόνῳ πατέρα τὸν αὑτοῦ ἔτυπτε καὶ οὐδὲν παρεῖχε τῶν ἐπιτηδείων, τόν τε ποιητὸν πατέρα ἀφείλετο ἃ ἦν ὑπάρχοντα αὐτῷ ἀγαθά, πῶς οὐ καὶ διὰ τοῦτο καὶ διὰ τὸν τῆς κακώσεως νόμον ἄξιός ἐϛι θανάτῳ ζημιωθῆναι;* Rectissime vidit Emperius p. 34, in postremis verbis iucuria librariorum obscuratum esse lusum oratoris, quo sine dubio significavit *τῷ τῆς κακώσεως νόμῳ* teueri Agoratum, tum quod patrem naturalem, tum quod adoptivum male habuisset: incommode autem coniungi *καὶ διὰ τοῦτο*, (i. e. propter iniuriam populo illatam) *καὶ διὰ τὸν τῆς κακ. νόμον.* Couiicit autem sic legendum esse: *πῶς οὐ καὶ διὰ τοῦτο κατὰ τὸν τῆς κακώσεως νόμον —.* Aguosco sanam et rectam sic exsistere seuteutiam: sed perit illud, quod tameu ipse requisivisse videtur, ut clausula ad utrumque crimeu referretur. Quumque ab initio dixisset, videri Agoratum *οὐχ ἑνὸς θανάτου ἄξιον εἶναι*, credo dixisse Oratorem, *πῶς οὐ καὶ διπλασίως διὰ τὸν τ. κ. ν. ἄξιός ἐϛι θαν. ζημ.*

Quum dixisset illorum, qui scelere Agorati perierant, ultionem tam ad universos, quam ad

cognatos, quibus illi in carcere praecepissent, pertinere, singulosque uniuscuiusque pariter *φίλους καὶ ἐπιτηδείους* esse, haec addit § 93. (p. 511. R.) *οὔκουν οὔτε ὅσιον οὔτε νόμιμον ὑμῖν ἐςὶν ἀνεῖναι Ἀγόρατον τουτονί.* In promptu erat corrigere *ἀφεῖναι*, quod Marklandus suaserat, probabatque Dobreus p. 227. Non tamen proprie sic conveniunt haec cum mandati mentione in superioribus (*ἐπέσκηψαν ὑμῖν.*) Credo legendum esse *ἀνεῖναί τι Ἀγοράτῳ τουτῳί*, *quidquam remittere, condonare huicce*, nempe ex illo communi vestrum omnium dolore et indignatione.

Conclusionem instituens, sic loquitur Orator § 95. (p. 513. R.) *Ἀποδέδεικται δ' ὑμῖν ἅπαντα καὶ ἐκ τῶν ψηφισμάτων καὶ ἐκ τῶν ἀπογραφῶν καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ἁπάντων Ἀγόρατος ὢν αὐτοῖς αἴτιος τοῦ θανάτου. Ἔτι δὲ καὶ προσήκει ὑμῖν ἐναντία τοῖς τριάκοντα ψηφίζεσθαι·* igitur, quos isti mortis damnaverunt, vos absolvite: quos non damnaverunt, vos damnate. Initio huius loci *ἅπαντα* delebat Marklandus, probante Dobreo p. 227. Non placet Franzio Dissert. p. 14, qui Reiskii quoque correctionem *ἁπανταχόθεν* respuit, ipse commendans *ἅπασι*. Sed, quos excitat ex hac Oratione locos, in iis emphaticum illud *ἅπαντες ὑμεῖς* prope necessarium, ab hoc loco prorsus alienum est. Credo per errorem huc tractum esse vocabulum, quod

suam habuisset sedem initio sequ. sententiae, post verba ἔτι δὲ καί. Nam argumentatio haec est: »praeterea decet vos omnia contra quam XXXviri »decernere:" unde haec tandem concludit; »igi»tur, si omnia, in istis quoque, et in Agorato, »contrarium ferte suffragium."

Orat. I. In Alcibiadem § 2. (p. 517 sq. R.) Alcibiadem istum eo pravitatis et turpitudinis progressum esse dicit, ὥς' ἐπινικίοις ὧν οὗτος φιλοτιμεῖται τοὺς ἐχθροὺς αἰσχύνεσθαι. Plenissime demonstravit Taylorus ἐπινικίοις verum esse non posse, et syntaxi simul ac sententiae consultum arbitratus est, si legeretur ἐπ' ἐκείνοις οἷς οὗτος φιλ. Quod sane quam melius est, quam Reiskianum, ἐπ' ἐνίοις, aliis postea quoque probatum, excepto Foertschio: nam in illa vehementia accusationis minime convenit, ut *nonnulla* tantum esse dicantur, in quibus perverse glorietur Alcibiades. Emperio praeterea, p. 35, videbatur τοὺς ἐχθροὺς ferri non posse, mutandumque in ἑτέρους· quod, ut vere dicam, in eodem languoris vitio est, atque illud ἐπ' ἐνίοις. Mea coniectura audacior fortasse videbitur, neque tamen reticebo legendum mihi videri, ὥς' ἐπ' ἐναντίοις τοῦτον καὶ τοὺς χρηςοὺς φιλοτιμεῖσθαι τε καὶ αἰσχύνεσθαι.

Ibid. § 3. (p. 519. fin. R.) *Ἀνάγνωθι δέ μοι τὸν νόμον· ΝΟΜΟΣ.* Haec manifesto delenda sunt, alienissimo loco illata. Nullius dum fecerat legis mentionem: tum ab Archestratida dixerat leges exhibitas fuisse: postremo, quae sequuntur, nullam ad legem pertinent, nisi ad eam, quae § 5 memoratur, ibique commode recitari iubetur.

Ibid. § 10. (p. 523. fin. R.) *Καὶ ἕτεροι μὲν οὐδεπώποτε ὁπλιτεύσαντες, ἔφιπποι δὲ ὄντες τὸν ἄλλον χρόνον καὶ πολλὰ κακὰ τοὺς πολεμίους πεποιηκότες, οὐκ ἐτόλμησαν ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβῆναι, δεδιότες ὑμᾶς καὶ τὸν νόμον.* Miror Emperio p. 36 in mentem venisse, e corrupta lectione Cod. X, *ἵππου ὄντες δὲ*, corrigendum esse *ἱππεύοντες δὲ*, pro eo, quod nunc e Cod. C. vulgatur, *ἔφιπποι δὲ ὄντες.* Eadem illa vitiosa lectio ducebat ad verum *ἱππεύσαντες δὲ*, quod Steph. iam habet, et necessario requiritur propter participia *ὁπλιτεύσαντες*, et *πεποιηκότες·* quamquam extremum hoc vehementer suspicor in vitio esse. Quid enim dicit? Alios esse, qui, quamquam ne semel quidem in hoplitis militavissent, et reliquo tempore equitassent, non tamen ausos esse, verecundia legis, ad equitatum adspirare. Reliquum illud tempus nullum aliud cogitari potest, nisi tempus extra bellum: et equitare de illa peritia, non de militia equestri accipiendum: quare mox de Al-

cibiade opponitur, οὔτε ἐπιςάμενος. Sed quo modo, quaeso, per illud tempus malum inferre potuerunt hostibus? Legendum videtur, καὶ πολλὰ κακὰ τοὺς πολεμίους ποιεῖν οἷοί τε ὄντες, aut fortasse ἠσκηκότες. — Notabile est id quod sequitur: οὕτω γὰρ ἦσαν παρεσκευασμένοι, οὐχ ὡς ἀπολουμένης τῆς πόλεως —' i. e. »eo animo erant, ut putarent »non perituram civitatem, sed —:" tamquam si dixisset οὕτω διέκειντο, de cuius verbi simili syntaxi dixi supra p. 198. ad Orat. I. De Caede Eratosth. Neque inaudita est haec ellipsis verbi *putare*, ut neque substantivi *opinionis*, δόξης, de qua annotavit Wyttenbachius ad Select. Histor. p. 384. et p. 453 alterius edit.: ipse aliud exemplum excitavi e Xenophonte, ad Cleomed. p. 425: conf. Hermannus ad Sophocl. Electr. 485.

Ibid. § 32. (p. 545. R.) Omnis defensorum opera versabatur in commemorandis patris Alcibiadis rebus gestis, quarum fama et magnitudine deprecari salutem filii conabantur: quae accurate refutantur a Lysia. Tum haec subiicit: καὶ μὲν δὴ — ἄλλων τε πολλῶν ἄξιον ἕνεκεν αὐτοῦ καταψηφίσασθαι καὶ ὅτι ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς χρῆται παραδείγματι περὶ τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας. Sed non suam improbitatem, verum patris defendebat: neque quidquam umquam ipse gesserat, quod cum reliquorum civium factis potuisset conferre. Igitur

statim patris mentio fit: τολμᾷ γὰρ λέγειν ὡς Ἀλκιβιάδης κ. τ. λ. et § 35. (p. 546. R.) ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς πονηρίᾳ φιλοτιμεῖται καὶ λέγει κ. τ. λ., eademque iterum memoratur § 37. (p. 547. fin. R.) Quapropter corrigendum est, vel τῆς αὐτοῦ, vel τῆς τοῦ πατρὸς πονηρίας.

Ibid. § 45. (p. 552. R.) Hoc, inquit, damnato exemplum ponetis et reliquis, et istius amicis, οἳ τὰ μὲν προσταττόμενα ποιεῖν οὐκ ἐθέλουσι, τοιούτων δ' ἔργων ἐπιθυμοῦσι, καὶ περὶ τῶν σφετέρων αὐτῶν κακῶς βουλευσάμενοι περὶ τῶν ὑμετέρων δημηγοροῦσιν. Vehementer dubito, an *iussa civitatis* uno illo participio, τὰ προσταττόμενα, dicantur Graece: et tamen illa sunt intelligenda. Quare supplendum existimo, τὰ μὲν ὑπὸ τῶν νόμων προσταττ. Et sic perpetuo explicate loquitur. Supra § 15, ἐφοβεῖσθε τοὺς τῆς πόλεως νόμους. § 20, ποιεῖν τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως προσταττόμενα. § 21, τὰ ὑπὸ τῶν ϛρατηγῶν προσταττόμενα. § 22, τοῖς νόμοις μὴ πείθεσθαι.

Alteram in Alcibiadem Orationem non esse Lysiae, recte iudicarunt Viri Docti. Certo hoc demonstratur, opinor, si conferuntur haec verba § 9. (p. 568. R.) μεμνῆσθαι χρὴ ὅτι οὐ νομοθετήσοντες περὶ αὐτῶν ἥκετε, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κειμέ-

νους νόμους ψηφιούμενοι, cum hoc loco Orat. I. § 4. (p. 520. R.) μὴ μόνον δικαςὰς, ἀλλὰ καὶ νομοθέτας αὐτοὺς γενέσθαι· quae ab eodem oratore profecta esse non est credibile. Ceterum antiqua illa Oratio est, nec sophistae exercitatio. Leve vitium, quod deprehendimus § 1. (p. 558. R.) καὶ μὴ βοηθοῦντας ὡς ἂν βούλωνται, tollendum est, id quod Reiskius dubitanter proponit, ut legatur οἷς ἂν β. — Sed unus locus restat, in quo frustra, ut mihi saltem videtur, laborarunt Interpretes, § 8. (p. 566. R.) Εἰ μὲν τοίνυν ὄντες κύριοι πολλῶν βουλομένων μηδένα τῶν ἄλλων ἱππεύειν εἴασαν, οὐκ ἂν δικαίως χαρίζοισθε αὐτοῖς· εἰ δ' ἄκυροι ὄντες ὁμολογήσουσι τάξαι, ἐνθυμεῖσθαι χρὴ ὅτι ὀμωμόκατε τὰ δίκαια γνώσεσθαι, ἀλλ' οὐχ ὅ τι ἂν οὗτοι κελεύωσι ψηφιεῖσθαι κ. τ. λ. Sermo est de Praetoribus, qui, reliquis, quum cuperent, exclusis, uni Alcibiadi concesserunt, ut ἀδόκιμαςος in equitibus militaret: et hoc postremum necessario cogitando supplendum est, propter praecedentia, post verba μηδένα τῶν ἄλλων ἱππεύειν εἴασαν. In uno vocabulo haeserunt Viri Docti, δικαίως, quod Marklandus mutari volebat in ἀδίκως· Reiskius sic malebat, εἰ καὶ μὴ δικαίως, χαρίζοισθε ἂν αὐτοῖς· postremo Foertschius Comm. Crit. p. 12, nihil praeter χαρίζοισθε mutari in ὀργίζοισθε vult. Dobreus nihil tentavit, sed quum sanum esse locum non posse agnosceret,

sententiam tamen hanc esse oportere iudicabat: »si suo iure usi multis denegarunt, huic uni, »omnium indignissimo, concesserunt, impudenter »faciunt, qui insuper deprecantur, ne vos invi»cem vestro iure utentes istum ulciscamini." Sed tenendum erat, si κύριοι essent Praetores, ne iudicio quidem opus fuisse: in primisque argumentandi rationem similem requiri eius, qua usus est Lysias in Defensione Veterani Emeriti § 12, quem locum tractavi supra p. 251 sq.: itaque totum illud χαρίζεσθαι, si intelligitur de iudicibus qui concedant et suffragentur Praetoribus, ineptum esse, sive hoc δικαίως, sive ἀδίκως fiat: tum Foertschii opinionem ideo ferendam non esse, quod, quamvis suo iure usi essent isti, merito tamen succenserent iis iudices. Suspicor legendum esse, οὐδ' ἀνάγκη χαρίζεσθαι αὐτοῖς, i. e. »ne necesse quidem »iis est gratificari eos Alcibiadi," assiduitate et testimonio: id quod obiecerat iis Orator § 6, χαριζόμενοι μαρτυροῦσιν ὑφ' ἑαυτῶν αὐτὸν τετάχθαι. Dilemma apertum est. Vel suo iure usi sunt, vel praeter ius sibi concessum egerunt: si prius, ne opus quidem est eos supplicando et testando quidquam gratificari Alcibiadi; nam nulla tum penes vos est iudicandi potestas: sin posterius, vos liberam suffragiorum, quae legibus et iureiurando vestro conveniat, servate potestatem.

EPILOGUS.

Reliqua Lysiae pertractaturus sum proximo horum Hypomnematum Volumine, eadem opportunitate absoluturus librum tertium Ciceronis De Oratore. Quas aliquoties in hoc Tulliano opere memoravi Varias Lectiones e duobus Codicibus Leidensibus, eas integras nunc efferre alienum videbatur a praesenti consilio, verum suum locum habebunt in peculiari istorum librorum editione ac recensione, quam animo destino. Ceterum, quod, praeter multorum morem, non adieci indicem Corrigendorum et Addendorum, non sic accipi velim, quasi nulla in re erratum esse, nihilque aut emendandum aut addendum censerem. Errata quidem operarum aut nulla, aut perpauca

esse confido: mea et multa et gravia esse posse sentio; quorum tum ea quae ipse vel deprehendi iam, vel post deprehendero, tum quae e Virorum Doctorum benevola admonitione cognoscam, exponam proximi Voluminis singulari Analectorum Capite. Quid enim proclive magis est, quam ut in tam ancipiti disciplina veterum illorum monumentorum interpretandorum labamur interdum, nec falsa semper a veris satis discernamus? Horum errorum emendationem non magis illi disciplinae, quam ipsi mihi profuturam existimo.